Præt.plusq.cum audiuissem, hauendo odito io, ò cõcio sia cosa che io hauessi & haurei odito, audiuisses tu hauessi & hareste odito, audiuisset, quello hauesse & harebbe odito. Pl. cum audiuissemus hauendo odito noi, ò concio sia cosa che noi hauessimo & haremmo odito, audiuissetis, uoi haueste & hareste odito, audiuissent quelli hauessino & harebbono odito.

Fut.cum audiuero, quando io odirò ò haro odito, audiueris, tu odirai, ò harai odito, audiuerit, quello odira ò hara odito. Pl. cum audiuerimus, quando noi odiremo & haremmo odito, audiueritis uoi odirete, & harete odito, audiuerint quelli odiranno & haranno odito.

Inf.mod.

Præs.& præt.imp.audire, odire.

Præt.perf.& plusq.audiuisse, hauer odito.

Fut.auditum ire uel auditurũ esse per douer odire.

Gerundia, audiendi, d'odire, audiendo in odire, audiendum ad udire.

Supina auditum, à odire, auditu da esser odito,

Participium præsentis, audiens, ilche ode.

Participium futuri, auditurus, a, um, ilche è per odire.

PASSIVA VOCE.

Indicant. mod.

Præs. audior io son odito, audiris uel audire, tu sei odito, auditur, quel è odito. Pl. audimur noi siamo oditi, audimini uoi sete oditi, audiuntur quelli sono oditi.

Præt. imp. audiebar io era odito, audiebaris uel audiebare, tu eri odito, audiebatur quello era odito. Pl. audiebamur noi erauamo oditi, audiebamini uoi erauate oditi, audiebantur quelli erano oditi

Præt. perf. auditus sum uel fui, io fui & son stato odito, auditus es uel fuisti, tu fosti e sei stato odito, auditus est uel fuit, quello fu & è stato odito. pl. auditi sumus uel fuimus, noi fummo & siamo stati oditi, auditi estis uel fuistis, uoi foste & sete stati oditi, auditi sunt fuerunt uel fuere, quelli furono & sono stati oditi.

Præt. plusq. auditus eram uel fueram, io era stato odito, auditus eras uel fueras, tu eri stato odito, auditus erat uel fuerat, quello era stato odito pl. auditi eramus uel fueramus, noi erauamo stati oditi, auditi eratis uel fueratis, uoi erauate sta

ti oditi, auditi erant uel fuerant, quelli erano sta ti oditi.

Fut. audiar, io saro odito, audieris uel audiere, tu sarai odito, audietur quel sara odito. Pl. audiemur noi saremo oditi, audiemini uoi sarete oditi, audientur, quelli saranno oditi.

Imp. mod.

Præs. audire tu, sii odito tu, audiatur ille, sia odito quello. Pl. audiamur nos siamo oditi noi, audimini uos siate oditi uoi, audiantur illi siano oditi quelli.

Fut. auditor tu, sarai odito tu, auditor ille, sara odito quello. Pl. audiamur nos, saremo oditi noi, audiminor uos, sarete oditi uoi, audiūtor illi, saranno oditi quelli.

Opt. mod.

Præs. & præt. imp. utinam audirer Dio uoleße che io foße odito, audireris uel audirere tu fossi odito, audiretur quello foße odito Pl. utinam audiremur Dio uolesse che noi fossimo oditi, audiremini uoi foste oditi, audirentur quelli fossino oditi.

Præt perf. & plusq. utinam auditus essem uel fuissem Dio uolesse che io fossi stato odito, auditus esses uel fuisses tu fossi stato odito auditus esset uel fuisset quello fossi stato odito. Pl. utinam auditi essemus uel fuissemus Dio uolesse che noi fossimo stati oditi auditi essetis uel fuissetis uoi foste stati oditi, auditi essent uel fuissent, quelli

fossero stati oditi.

Fut. utinam audiar Dio uoglia che io sia odito, audiaris uel audiare tu sii odito, audiatur quel sia odito Pl. utinã audiamur Dio uoglia che noi siamo oditi, audiamini uoi siate oditi, audiantur quelli siano oditi.

Sub. mod.

Præs. cum audiar essendo odito io, audiaris uel audiare essendo odito tu, audiatur essendo odito quello. Pl. cum audiamur essẽdo oditi noi, audiamini essendo oditi uoi, audiantur essendo oditi quelli.

Præt. imp. cum audirer essendo odito io, o concio sia cosa che io fossi & sarei odito, audireris uel audirere tu fossi & saresti odito, audiretur quel fosse & sarebbe odito. Pl. cùm audiremur essendo oditi noi o concio sia cosa che fossimo & saremmo oditi, audiremini uoi foste & sareste oditi, audirentur quelli fossero & sarebbono oditi.

Præt. perf. cum auditus sim uel fuerim essendo, stato odito io, audictus sis uel fueris essendo stato odito tu auditus sit uel fuerit essendo stato odito quello Pl. cum auditi simus uel fuerimus essẽdo stati oditi noi, auditi sitis uel fueritis essendo stati oditi uoi, auditi sint uel fuerint essendo stati oditi quelli.

Præt. plusq. cum auditus essem uel fuissem essẽdo stato odito io, o concio sia cosa che io fossi & sarei stato odito, auditus esses uel fuisses tu fossi

&

& saresti stato odito, auditus esset uel fuisset, quello fosse & sarebbe stato odito, Pl. cum auditi essemus uel fuissemus, essendo stati oditi noi, o concio sia cosa che fossimo & saremmo stati oditi, auditi essetis uel fuissetis, uoi foste & sareste stati oditi, auditi essent uel fuissent, quelli fossino & sarebbono stati oditi.

Fut. cum auditus ero uel fuero, quando io saro o saro stato odito, auditus eris uel fueris tu sarai o sarai stato odito, auditus erit uel fuerit, quel sara o sara stato odito. Pl. cum auditi erimus uel fuerimus. quando noi saremmo o saremmo stati oditi, auditi eritis uel fueritis, uoi sarete ouer sarete stati oditi, auditi erunt uel fuerint quelli saranno o saranno stati oditi.

Inf. mod.

Præs. & præt. imp. audiri essere odito, odirse.

Præt. perf. et plusq. auditum esse uel fuisse, esser odito, essere stato odito.

Fut. auditum iri uel audiendum esse, per douerse odire.

Participium præteriti, auditus, a, um il ch'e stato odito.

Futuri audiendus, a, um, il ch'è per douer esser odito.

Hæc superiorum quatuor coniugationum non sequuntur rationem.

SVM VERBVM SVBSTANTIVVM:

Indicant.mod.temp.præſ.

Sum io ſono, es eſt, pl. ſumus noi, ſiamo, eſtis, ſunt.

Præt.imp.eram, io era, eras, erat. Pl. eramus, noi erauamo, eratis, erant.

Præt.perf.fui, io fu & ſono ſtato, fuiſti, fuit. Pl. fuimus, noi fummo & ſiamo ſtati, fuiſtis fuerunt uel fuere.

Præt.pluſq.fueram, io era ſtato, fueras, fuerat. pl. fueramus, noi erauamo ſtati, fueratis fuerant.

Fut.ero, io ſaro, eris, erit. Pl. erimus, noi ſaremo, eritis, erunt. Imp.mod.

Temp.præſ.es uel ſis tu, ſii tu, ſit ille, ſia quello. Pl. ſimus nos, ſiamo noi, eſte uos, ſiate uoi, ſint illi, ſiano quelli.

Fut.eſto tu uel ille, ſarai tu o ſara quello. Pl. ſimus nos ſaremo noi, eſtote uos, ſarete uoi, ſunto illi, ſaranno quelli. Opt.mod.

Præſ.& præt.imp.utinam eſſem, Dio uoleſſe che io foſsi, eſſes, eſſet Pl. eſſemus noi foßimo, eſſetis, eſſent.

Præt.perf.et pluſq.utinam fuiſſem, Dio uoleſſe che io foſsi, ſtato, fuiſſes, fuißet. Pl. fuißemus, Dio uoleßi che noi foſsimo ſtati, fuiſſetis fuiſſent.

Fut.utinam ſim, Dio uoglia che io ſia, ſis, ſit. Pl. ſimus, Dio uoglia che noi ſiamo, ſitis, ſint.

Sub.mod.

Præſ.cum ſim, eſſendo io, o conciosia coſa che io ſia

sis, sit Pl. simus, essendo noi, o concio sia cosa, che siamo noi, sitis, sint.

Præt. imperf. cum essem, essendo io, o concio sia cosa che io fossi, esses, esset. Pl. essemus, essendo noi, o concio sia cosa che noi fossimo, essetis, essent.

Præt. perf. cum fuerim, essendo stato io, o concio sia cosa che io sia stato, fueris, fuerit. Pl. fuerimus essendo stati noi, o concio sia cosa che siamo stati noi, fueritis fuerint.

Præt. plusq. cum fuissem essendo stato, io o concio sia cosa che io fossi & sarei stato, fuisses, fuisset. Pl. fuissemus, essendo stati noi, o concio sia cosa che fossimo & saremo stati, fuissetis, fuissent.

Fut. cum fuero quando io saro o saro stato, fueris, fuerit. Pl. fuerimus quando noi saremo o saremo stati, fueritis, fuerint.

Inf. mod.

Præs. & præt. imp. esse, essere.

Præt. perf. & plusq. fuisse, esser stato.

Fut. fore, uel futurum esse, per douer essere.

Participium futuri, futurus, a, um, il ch'è per douer essere.

VOLO.

Indic. mod.

Temp. præs. Volo, io uoglio, uis uult. Pl. uolumus uultis, uolunt.

Præt. imp. uolebam io uoleua, uolebas, uolebat. Pl. uolebamus, uolebatis, uolebant.

Præt.perf.uolui, io uolsi & ho uoluto, uoluisti uoluit. Pl. uoluimus uoluistis, uoluerũt uel uoluêre.

Præt.plusq. uolueram, io haueua uoluto, uolueras, uoluerat. Pl. uolüeramus, uolüeratis, uolüerant.

Fut. uolam, io uorro, uoles, uolet. Pl. uolemus, uoletis, uolent.

Imp. mod. caret, sed abeo compositum nolo habet in præsenti, noli nolite, & in futuro, nolito, nolitote.

Opt. mod.

Præs.& præt.imp. utinam uellem, Dio uoglia che io uoleßi, uelles, uellet. Pl. uellemus, uelletis, uellent.

Præt.perf.et plusq. utinam uoluißẽ, dio uoleße che io hauesſi uoluto, uoluisses, uoluisset. Pl. uoluissemus, uoluissetis, uoluissent.

Fut. utinam uelim, Dio uoglia che io uogli, uelis, uelit. Pl. uelimus, uelitis, uelint.

Sub. mod.

Præs. cum uelim, uolendo io, o concio sia cosa che io uoglia, uelis, uelit. Pl. uelimus, uelitis, uelint.

Præt.imp. cum uellem, uolendo io, o concio sia cosa che io uoleßi & uorria, uelles, uellet, Pl. uellemus, uelletis, uellent.

Præt. perf. cum uoluerim, hauendo uoluto io, o concio sia cosa che io haueßi & haria uoluto, uoluisses, uoluisset. Pl. uoluissemus, uoluissetis, uoluissent.

Fut. cum uoluero, quando io uorro o haro uoluto,

uolueris,uoluerit.Pl. uoluerimus ; uolueritis, uoluerint.

Inf.mod.

Præs. uelle uoler.

Præt.uoluisse,hauer uoluto ,& sic ab eo cõposita.

Gerundijs & supinis caret.

Participium præsentis uolens,tis,il che uole.

FERO.

Indic.mod.

Temp.præs.fero,io porto,fers,fert,Pl.ferimus,fe ritis,ferunt,& cætera.

Imp.Mod.

Temp.præs.fer tu,porti tu,ferat ille,porti quello. Pl.feramus,ferte,ferant .

Fut.ferto tu porterai tu, ferto ille,portera quello. pl.feramus,fertote,ferunto.

Op.mod.

Præs.& præt.imp.utinam ferrem , Dio uoleßi che io portaßi, ferres, ferret. pl. ferremus , ferretis,ferrent & cætera.

Sub.mod.

Temp.præs.cum feram,Dio uoglia che io porti,feras,ferat.Pl.feramus,feratis,ferant.

Præt.imp.cum ferrem,portando io, o concio sia cosa che io portaßi & porteria,ferres, ferret.Pl. ferremus,ferretis ferrent.

Inf.mod.

Temp.præs.ferre,portare .

Præt.tulliße hauer portato.

Fut. latum ire uel laturum, eße, per douer portare.

Gerundia.

Ferendi ferendo ferendum.

Supina.

Latum latu.

Participia.

Præsentis ferens tis, il che porta.

Futuri, laturus, latura, laturum, il che è per portare.

PASSIVA VOCE.

Temp. præs. feror, io son portato, ferris uel ferre, fertur. Pl. ferimur ferimini feruntur & cætera.

Imp. mod.

Temp. præs. fere feratur, sii portato tu, & sii quello. Pl. feramur feramini ferantur.

Fut. fertor tu, uel ille, sarai portato tu, o quello. Pl. feramur ferimini feruntor.

Opt. mod.

Præs. & præt. imp. utinam ferrer, Dio uoleßi che io foßi portato, ferreris uel ferrere ferretur. Pl. ferremur ferremini ferrentur & cætera.

Sub. mod.

Præt. imp. cum ferrer, eßendo portato io, & cætera. ut superius. Infi. mod.

Temp. præs. ferri, eßer portato, & quæ sequuntur nam cætera tempora ideo subticuimus, quòd uerborũ tertiæ coniugationis ea sequantur rationẽ.

Es & est in indican. pro edis edit; eßem, eßes, eßet, eßemus eßetis eßent in præs. optantis mo

di, & in præt. subiung. tum esse in infinito & e-
stur in præs. uocis passiuæ in eadem significatio-
ne, cætera quæ desunt supplentur, à uerbo edo.

FIO:

Indic. mod. temp. præs.

Fio, io son fatto, fis, fit. Pl. fimus, fitis, fiunt.
Præt. imp. fiebam, io era fato, fiebas, fiebat. Pl. fie
bamus, fiebatis, fiebant.
Fut. fiam, io saro fatto, fies, fiet. Pl. fiemus, fietis,
fient.

Imp. mod.

Ad sec. & tert. perso. fias fiat. Pl. fiamus, fiatis,
fiant.

Opt. mod.

Præs. & præt. imper. utinam fierem, Dio uolessi ch'
io, fossi fatto, fieres, fieret. Pl. fieremus, fieretis,
fierent.
Fut. utinam fiam, Dio uoglia ch'io sia fatto, fias,
fiat, Pl. fiamus, fiatis, fiant.

Sub. mod.

Cum fiam, concio sia cosa ch'io sia fatto, fias, fiat.
Pl. fiamus, fiatis, fiant.
Præt. imper. cum fierem, concio sia cosa ch'io fosse
fatto, fieres, fieret, Pl. fieremus, fieretis, fierent.

Inf. mod.

Præs. & præt. imp. fieri, esser fatto, farsi.
Præt. factum esse, esser stato fatto.
Fut. factum iri uel faciendum esse per douersi fare.
Part. factus, a, um, il ch'è fatto.
Fut. faciendus, a, um, lo ch'è per douer esser fatto.

At cætera tempora quæ hic desunt, eò non adhibuimus, quò paßiuorum illa sequuntur uerborum rationem; ut in præt. perf. factus, sum uel fui, in plusq. factus eram uel fueram, & sic de reliquis.

E O.

Eo, io uado, is sit. Pl. imus, itis, eunt.

Præt. imp. ibam, io giua, o andaua, ibas, ibat: pl. ibamus, ibatis, ibant.

Præt. perf. iui, io andai, iuisti, iuit, Pl. iuimus, iuistis, iuerunt, uel iuere.

Præt. plusq. iueram, io era, gito, ò andato, iueras, iuerat, Pl. iueramus, iueratis, iuerant.

Fut. ibo, io girò, o andrò, ibis, ibit Pl. ibimus, ibitis, ibunt.

Imp. mod.

Præs. i tu, ua tu, eat ille. Pl. eamus ite eant.

Fut. ito tu, girai o andrai tu, ito ille. pl. eamus itote eunto.

Opt. mod.

Præs. & præt. imp. utinam irem, Dio uoleßi ch'io gissi, o andassi, ires, iret. pl. iremus, iretis, irent.

Præt. plusq. utinam iuissem, ò se fossi, gito, o andato io, iuißes, iuißet. pl. iuißemus, iuissetis, iuissent.

Fut. utinam, eam, ò si uada, io, eas, eat. pl. utinam, eamus, eatis, eant.

Sub. mod.

Cum eam, andandò, io, o concio cosa che io uada, eas,

eat.pl.eamus,eatis,eant.

Præt.imp.cũ irẽ andãdo io,o cõcio ſia coſa ch'io giſ ſi,o andaſſi ,ires,iret.pl.iremus iretis irent .

Præt.perf.cum iuerim,eſſendo,andato,io o concio ſia coſa ch'io ſia ito o andato, iueris, iuerit. pl. iuerimus, iueritis,iuerint .

Præt.pluſq.cum iuißem concio ſia coſa che foſſi et ſarei andatoio, iuißes, iuißet. pl.iuiſſemus iuiſ-ſetis,iuißent.

Fut.cum iuero, quando io ſaro ito o andato,iueris iuerit,pl.iuerimus,iueritis,iuerint .

Inf.mod.

Præſ.& præt.imp.ire, andare.

Præt.iuiße,eßer ito,o andato .

Fut.iturum eße,douer ire, o andare .

Gerundia,eundi,eundo,eundum.

Supina itum,itu .

Particip. præſ.iens,euntis,part. fut.iturus,a,um,

Et eodem modo coniugabis,uerbum,Queo.

FORMVLA CONIVGANDI IM-*perſonalia in T.*

Præſ.oportet.præt.imp.oportebat.præt.per.opor tuit.præt.pluſq.oportuerat fut.oportebit.

Imperant.mod.

Oporteat.

Opt.mod.

Præſ.& præt.imp. utinam oporteret .præt.perf.

& plusq.oportuißet fut.oporteat.

Sub.mod.

Præs.cũ oporteat.præt.imp.oporteret.præt.perf. oportuerit. præt. plusq. oportuißet. fut. oportuerit.

Inf.mod.

Præs.& præt.imp.oportere.

Præt.perf.& plusq.oportuiße:cæteris caret.

Formula coniugandi impersonalia in Tur.

Præs.seruitur.præt.imper.seruiebatur.præt.perf. seruitum est uel fuit.præt.plusq.seruitum erat uel fuerat fut.seruietur.

Imp.mod.

Præs.seruiatur fut.seruitor.

Opt. mod.

Præs.et præt.imp.utinam,seruiretur præt.perf.et plusq.seruitum esset uel fuisset,fut.seruiatur.

Sub. mod.

Præs.cum seruiatur.præt.imper.seruiretur.præt. perf.seruitum sit uel fuerit.præt.plusq.seruitũ esset uel fuisset.fut.seruitum erit uel fuerit.

Inf.mod.

Præs.præt.imperf.seruiri.præt.perf. plusq.seruitum esse uel fuisse.

Cæteris caret.

FRANCISCI BRITI LVSITANI DE GRAMMATICA,

LIBER PRIMVS.

GRammatica est rectè loquendi scribendiq; ars, bene loquentium authorum usu authoritateq; firmata.

Huius quatuor sunt partes, Etymologia, Syntaxis, Prosodia, & Orthographia: de quibus ordinatim perscribemus.

ETymologia ergo est ratio cognoscendi uniuscuiusq; uocis naturam & accidentia; ut utrum uox quæq; sit nomen, an uerbum, cuius numeri aut casus & similia.

PARTES uerò etymologiæ ac proinde orationis sunt octo; nomẽ, pronomen, uerbũ, participiũ, præpositio, aduerbium, interiectio, coniunctio.

E' his flectuntur hæ quatuor; nomen, pronomen, uerbum, participium.

Hæ uerò quatuor non inflectuntur; præpositio, aduerbium, interiectio, coniunctio.

DE NOMINE.

NOmen uocabulum, est, quod per casus inflexum, rem aut corpus significat sine tempore, ut sermo, liber.

Eſt autem id duplex: ſubſtantiuum, & adiectiuum.

Subſtantiuum nomen eſt, quod inflexum per unum articulum per duosúe ad ſummum, ſine adminiculo adiectiui ſenſum abſoluit: ut uir: hoſtis.

Quod rurſus eſt duplex, proprium, quod uni tantùm conuenit, & Apollo, Corinthus: appellatiuum, quod pluribus: ut homo, ciuitas.

Adiectiuum nomen eſt, quod uariatum per tres articulos ſeu ſane uoces, non, niſi adiectiuum ſubſtantiuo, abſoluit ſententiam:

ut iniquus —— ſeruus. pulchra —— domus.

Conſecutiones nominum (alij accidentia uocant) ſunt ſex; ſpecies, genus, numerus, figura, caſus, et declinatio.

Species eſt duplex, primaria, quæ non oritur aliunde, ut pater: deriuata, quæ aliunde ducitur, ut paternus à patre.

Genera ſex; maſculinum, fœmininum, neutrum, commune, omne, & dubium (nam fruſtrà à quibuſdam ſeptimum adhibetur promiſcuum.)

Maſculinum nomen eſt, cui in declinatione præponitur articulus hic, ut hic menſis: fœmininum, quod habet hæc, ut hæc hora: Neutrum, quod declinatur cum hoc, ut hoc Imperium: Commune, quod cum hic & hæc, ut hic & hæc hoſtis: Omne, quod cum tribus articulis, ſeu ſanè uocibus; ut hic, & hæc, & hoc prudens; bonus bona bonum.

Dubium, quod nullius, ſexus habens rationem, utrũ

uelis (modo patiatur usus) habet articulum: ut hic uel hæc si lex.

Numeri nominum sunt duo: singularis, qui de uno loquitur ut urbs: pluralis, qui de pluribus, ut urbes.

Figuræ duæ, simplex ut doctus: composita ut indoctus.

Casus sex; nominandi, gignendi, dandi, accusandi, uocandi, & auferendi: seu ut uulgo, nominatiuus, genitiuus, datiuus, accusatiuus, uocatiuus, & ablatiuus.

Declinationes quinque; prima cuius genitiuus singularis exit in æ diphtongō ut hora horæ; secunda cuius in i, ut annus anni; tertia in is, ut pater patris; quarta in us, ut gradus gradus; neutra tamen eiusdem declinationis in u, eandem terminationem retinent in singulari per omnes casus, ut neru, neru, item in datiuo & ablatiuo pluralibus u, ut nerua uerubus. Quinta cuius genitiuus exit in ei ut dies diei.

DE PRONOMINE.

PRonomen pars orationis est, quæ & casibus flecti, & pro nomine poni solet; ut ego, tu, ille,

Sunt autem pronomina quindecim, ego, tu, sui, hic, iste, ille, ipse, is, meus, tuus, suus, noster, uester, nostras, & uestras,

E quibus item demonstratiua sunt hæc; ego, tu, hic, iste, ille, Relatiua hæc; is, ipse, ille; Recipro-

ca hæc; sui & suus. Possessiua; meus, tuus, suus, noster, uester; nam nostras, & uestras, gentilia.
Pronominis uerò consecutiones sunt septem; species, genus, numerus, figura, persona, casus, & declinatio.
Species est duplex, ut item in nomine; primaria ut ego, tu, sui, hic, iste, ille, ipse, is.
Deriuata; ut meus, tuus, suus, noster, uester, nostras & uestras: quæ à genitiuis primitiuorum mei, tui, sui, deriuantur: ut à genitiuo mei, meus, a, um: à genitiuo plurali nostrum, noster, a, um: & sic cætera.
Genera sunt tria, partim sub tribus uocibus, partim sub una complexa: ut meus, mea, meũ; hic & hæc & hoc nostras: sic ego, tu, sui, quæ item recipiũt, omnia genera.
Numeri duo; singularis, ut ego; pluralis, ut nos.
Figuræ item duæ; simplex, ut hic; cõposita ut isthic.
Personæ tres; prima, ut ego; secunda ut tu, tertia ut ille, cũ cæteris omnibus tàm pronominibus, quàm nominibus ac participijs quæ sũt personæ tertiæ, exceptis uocatiuis, quæ ad personam referuntur secundam.
Casus sunt item sex, sicut in nomine.
Declinationes quatuor: prima quæ mittit genitiuũ in i. ut ego mei, tu tui: Secunda quæ in ius, ut hic huius, ille illius, Tertia quæ mittit in. i. & æ, ut mei meæ, mei. Quarta quæ in is; ut nostras nostratis uestras uestratis.

De Verbo.

Verbum pars orationis est quæ cum modis temporibusq; inflexa, actionem passionem'ue significat uel utrumque.

Verbi consecutiones sunt octo: genus, modus, tempus, numerus, psona, species, figura, & coniugatio

Genera uerborum sunt duo, personale, & impsonale

Personale uerbum est, quod per certos modos, personas, numerosq; inflectitur.

Impersonale uerò, quod tametsi tertiam singularis numeri personam referat, nullos tamen numeros, nullas personas habet; quod item fertur duplex; actiuæ uocis in t. ut decet, & passiuæ in Tur, ut seruitur?

Genera uerborum personalium sunt quinque actiuum, passiuum, neutrum, commune, & deponẽs.

Actiuum uerbum est, quod cum in o desinat, additione literæ r. fit passiuum in or, ut amo amor.

Passiuum uerò, quod è conuerso finitum in or, detractione eiusdem literæ reddi potest actiuum in o, ut amor amo.

Neutrum, quod etiamsi finit in o, nontamen format passiuum in or, ut studeo.

Deponens quod desinens in or, non fit ab actiuo in o, & tamen actiuam retinet significationem, ut sequor.

Commune, quod item finitum in or, non fit ab actiuo in o, & tamen utranque habet significationẽ, ut amplector.

Modi uerborum sunt quinque: Indicans, Imperans, Optans, Subiungens, & Infinitus.

Tempora item quinque: Præsens, Præteritum imperfectum, Præteritum perfectum, Præteritum plusquam perfectum, & Futurum.

Numeri duo, singularis ut amo: pluralis ut amamus.

Personæ tres; prima, secunda, tertia, ut amo, amas, amat.

Species duæ; prima ut lego, deriuata ut lectito.

Figuræ item duæ; simplex, composita; ut amo, redamo.

Coniugationes uerborum sunt quatuor; prima cuius secunda persona singularis præsentis temporis indicantis modi exit in as, & infinitum in are; ut amo, amas, amare.

Secunda, cuius eadem persona in es, & infinitum in ere productum; ut doceo, doces, docére.

Tertia cuius in is, & infinitum in ere correptum; ut lego legis legere.

Quarta quæ mittit eandem personnm in is, & infinitum in ire; ut audio, audis, audire.

De Participio.

Participium uox est, quæ à uerbo deducta, per casus inflectitur cum tempore.

Dicitur autem participium à parte et capio, quòd partem capit à nomine ut pote genera et casus: partem à uerbo, ut significationes & tempora; partem ab utroque, ut numerum & figuram.

Con-

Consecutiones participii sunt octo: species, genus, tempus, significatio, figura, numerus, casus, & declinatio.

Species est unica tantùm; omnia etenim participia deriuata.

Genera tria: masculinnm, fœmininum, neutrum: omnia (sicuti nomina adiectiua) aut sub una terminatione contenta, ut hic & hæc & hoc amans: aut sub tribus, ut amatus, amata, amatum.

Tempora item tria; præsens ut amans, præteritum ut amatus, futurum ut amaturus, amandus.

Significationes duæ actiua, ut amans, amaturus; passiua, ut amatus, amandus.

Sunt autem participia actiuæ uocis ea, quæ cuiuscunque modo sint temporis; à uerbis descendunt significantibus actionem; ut amans amaturus, sequens, sequutus, & secuturus.

Illa uerò pasſiuæ, quæ nascuntur è uerbis significantibus pasſionem; ut uapulans uapulaturus, sic imitatus (pasſiuè aceeptum) & imitandus.

Figuræ participiorum duæ; simplex, composita, ut legens, relegens.

Numeri duo; singularis ut legens, pluralis ut legentes.

Casus idem, qui in nomine, sex.

Declinationes tres, participia namque præteriti tẽporis, & futuri tam in rus quam dus, primam, & secundam simul sequuntur substantiuorum declinationem; ut amatus, amata, amatum, sic a-

maturus,& amandus: at præsentis temporis in ans uel ens, tertiam:ut amans amantis, legens legentis.

DE PRAEPOSITIONE.

PRæpositio particula est quæ alijs orationis partibus interdum apponitur : ut ad te, erga illum, interdum eas componit., ut perlego, redamo.

Præpositioni accidit solùm casus;atque is accusatiuus,uel ablatiuus.

Præpositiones quæ deseruiunt accusatiuo sunt, ad, apud,ante,aduersus,aduersum, cis,citra,circiter,circum,circa,cōtra,erga,extra,inter,intra, infra,iuxta,ob,pone,per,propè,propter,secundum,post,trans,ultra,præter, supra,usque secus,penes.

Deseruientes ablatiuo,sunt;a, ab,absque,cum,coram,clam,de,è,ex,pro,præ,palam,sine,tenus.

Accusatiuo & ablatiuo sunt; in, sub, super, & subter.

Quæ non nisi in compositione reperiuntur,sunt;an, con,dis,di,re,se,

DE ADVERBIO.

ADuerbiū orationis pars est,quæ ferè semper adhæret uerbo,eius adiuuans significationē.

Aduerbij consecutiones sunt tres; species, figura, & siguificatio.
Species sunt duæ; primaria ut sæpe; deriuata ut sæpius.
Figuræ item duæ: simplex cõposita, ut diu iamdiu.
Significationes multæ; ut numerandi, affirmandi, loci, temporis, quantitatis, qualitatis, cum aliis pluribus, quas lectio, & magistri docebunt.

DE INTERIECTIONE.

INteriectio particula est, quæ aliis partibus interiecta animi exprimit affectum, ut hei mihi, heu me.
Interiectioni accidunt duo; figura nempe & significatio,
Figura simplex ut heu, composita, ut eheu.
Significatio multiplex; ut dolentis, admirantis, cum similibus, quas usui magistrisque remittimus.

DE CONIVNCTIONE.

COniunctio particula est quæ cæteras partes orationis connectit, sensumque cõiungit.
Coniunctionis consecutiones sunt tres, figura, ordo, & significatio.
Figuræ duæ; simplex composita, ut enim, etenim.
Ordo triplex; præpositus, post positus, & in-

diferens.

Præpositi ordinis coniunctiones, hoc est, quæ in oratione semper præponuntur sunt, hæ ferè: ac, at, ast, &, sed, aut, uel ne, nec, neque. agè. seu, siue, si, sin, itaque.

Post positi, quoque, autem, uerò, quidem, enim ne-[illegible]: tum hæ tres, que, ne, ue, quas Grammatici uocant encliticas.

Indiferentis ordinis siue communis. i. quæ modò præponuntur, modò post ponuntur, sunt; atque, igitur, itaque, quoniam, quia & siqua est alia huiusmodi.

Significatio, seu ut alii uocant, species coniunctionis est uaria; ut copulatiua, quæ itém est frequentior & magis præcipua, ut quæ copulet tam sensum quam uerba; cuius generis sunt, quæ ac, atque, quidem, quoque, etiam, item, at, ast, sed, autem, uerò; Tum dubitatiua, Disiunctiua, cum aliis id genus, quas itē usus & magistri docebunt; nec etenim adeo leuis momenti rebus censemus pueros confundēdos, uel re tardandos.

DE ANOMALIS.

NOmina ea dicuntur anomala, quæ aut genere, aut declinatione à cæterorum regulis discrepant.

De ijs quæ genere.

E'his igitur quæ genere differunt, quædam singularem numerum generis obtinent masculini, plu-

ralem uerò neutrius; ut Tartarus. Tartara: quædam singularem fœminini, & pluralē neutrius; ut carbasus, carbasa; quædam singularem generis neutrius, & pluralem masculini; ut cœlum, cœli: cum similibus.

Huc & referri possunt quæ abundant genere, ut baculum, baculus: buxus, buxum, cum alijs huiusmodi.

De ijs, quæ declinatione.

Alia item declinatione discrepant, cùm singularem habent declinationis alterius, pluralem autem alterius; ut uas singulari numero declinationis est tertiæ, plurali uerò uasa, secundæ.

His addito ea, quæ declinatione deficiunt; ut nihil, nefas: aut quæ abundant, ut conclaue conclauium: aut quæ altero numero carent, ut aurum, arma: aut quæ casibus, ut uis, uim, à ui, cum similibus: quæ ipse Authoribus legendis cognosces complura.

DE PATRONIMICIS.

Patronimicum nomē est quod deriuatum præsertim à patre filios, uel filias, nepotes uel neptes, aut aliquem item ex posteris eius, à quo deriuatur, significat, ut Priamides, Aeacides.

Horum traduntur quatuor terminationes, ES, IS, AS, & NE, sed hæc rara.

ES.

In es, declinationis sunt primæ & ea tantum masc

lina (nam cætera omnia fœminini ſunt generis) formanturque hæc à genitiuis primitiuorum nominū declinationis primæ, ſecundæ, & tertiæ.

Si à nominibus primæ (e) genitiui mutetur in des, ut Aeneæ Aeneades.

Si à ſecundæ nominibus, eius declinationis genitiuus erit aut per. i. ſimplum, aut duplum.

I ſimplo addito des ut Eoli Eolides, Pelei Peleides quamquā etiam & Pelides: I dupli alterum mutato in a, ut Menetii menetiades.

Obſeruatio.

Addunt tamen interdum etiam poetæ, ac detrahunt; ut Atlanti Atlantiades, Aeneæ Aenides pro Atlantides, & Aeneades.

At à nominibus tertiæ declinationis, à datiuo formantur hæc nomina adiuncta des; ut Nestori Nestorides.

In is, & as.

In is, & as, declinationis ſunt tertiæ, formanturq; à patronimicis maſculinis ablata de, ut Aeolides Aeolis: Menetiades Menetias: quāuis quæ per as, interdum etiam aliter exeant; ut ab Aeneades, Aeneis: à Theſides, Theſeis, idis.

E.

In E, quæ (ut dictum) ſunt rara, declinationis ſunt primæ & formantur à triplici genitiuo nominum declinationis ſecundæ. I, I I, & EI, ut ſunt Adraſti, Acriſii, Nærei.

Simplo, I, addito ne; ut Adraſti, Adraſtine:

I dupli alterum nertes in o, ut Acrisii Acrisione: Genitiuo ei, ex puncta e, superaddito ne, ut Nærei. Nerine. i. filia Nærei.

DE TRIPLICI GRADV comparationis.

COmparationis gradus est triplex; positiuus, comparatiuus, & superlatiuus.

De positiuo.

Positiui gradus sunt ea nomina adiectiua quorum augeri potest, seu imminui significatio; ut iustus, leuis,

Exc.

Ea tamen adiectiua nunquam, aut rarò quidem sortiuntur hunc gradum, aliumúe formant ex se se; quæ uocalem habent ante is, uel us; ut tenuis, ingenuus.

Quibus etiam addito ea, quæ desinunt in almus, aut bundus, ut almus, moribundus.

De comparatiuo.

Comparatiua nomina in or, & us finiunt; formanturquè à genitiuo positiuorum secundæ declinationis addita or; ut iusti iustior: uel à datiuo positiuorum tertiæ: ut leui leuior.

Ex.

Excipiuntur tamen quædam, quæ canonem hunc non seruant; cuius generis sunt, magnus maior maximus: bonus melior optimus: malus peior pessimus: cum nonnullis aliis id genus.

Appendix.

Quædam præterea cum uerbis uolo, facio, & dico composita; quæ formant in entior, ut maleuolus; maleuolentior: maledicus maledicentior: munificus munificentior: Quorum item superlatiua exeunt in entißimus, ut munificentißimus, & sic cætera.

DE SVPERLATIVIS.

SVperlatiua tripliciter finiunt; inssimus, Rimus, Limus.

Quæ in ssimus, formantur à genitiuo positiuorum secūdæ uel tertiæ declinationis addiecta ssimus, ut iusti, iustißimus: leui, leuissimus.

Exc.

Excipiuntur tamen illa eadem, de quibus obiter dictum in comparatiuis.

Quæ uerò in rimus, à nominatiuo masculino positiui in er formantur addendo rimus; ut teter, terrimus.

At quæ in limus; à datiuo addendo mus; ut simili similimus; sic facilimus, humilimus, agilimus, docilimus; & si qđ aliud reperitur huiusmodi.

DE RELATIVIS.

RElatiuum nomen est, quod rem antecedentem refert estque id duplex, substantiæ, et accidentis.

Substantiæ relatiuum est, quod nomen refert sub-

stantiuum; cuius generis sunt qui, quæ, quod, ille, is, ipse, idem, sui, suus, alter, alius, reliquus, cætera cæterum, uix enim reperitur cæter.

Relatiuum accidentis est quod antecedens refert adiectiuum; huius generis sunt qualis, quantus, cuius, cuias, quot, quotus, sic quotuplex & quotuplus.

Cuius item relatiui natura est, ut cum subsequenti congruat substantiuo, ut animal uarium, qualis est mulier.

DE GENERE HOMINVM.

GENVS in nomine aut significatione, aut terminatione dignoscitur.

Canon. 1. De genere & significatione.

Omnia nomina tantùm significãtia mares, generis sunt masculini; ut Petrus, uir, Consul, Apollo,

2 Mensium item & fluuiorum eiusdem sunt generis; ut Aprilis Eridamus.

3 Homina fæminarum, aut tantùm pertinentia ad fæminas, generis sunt fæminini; ut Helena, mulier, nutrix, Minerua.

4 Vrbium item, arborum, poẽmatum, Nauium, et insularum, eiusdem sunt generis; ut Neapolis, Cerasus, Eunuchus, Argo, Samos.

Exc. 1. Excipiuntur tamen hæc arborum, laburnũ, ligustrum, robur & suber, quæ neutrius sunt generis: tum oleaster, quod masculini.

Exc. 2. Nonnulla præterea urbiũ in ur, & um desi

nentia, ut Anxur, Tarentum, quæ neutrius.

5 Literarum nomina ut A. B. uel fœminini, uel neutrius sunt generis: quamuis sæpius neutrius.

6 Nomina mares, & fœminas significantia, communis dicuntur generis, ut hic uel hæc hostis, princeps. aduena, cum similibus,

Appendix.

Quibus si neutra addi poterit significatio, generis erunt oīs: ut hic & hæc rudis, & hoc rude; hic & hæc & hoc fœlix.

De genere ex terminatione.

A.

Canō. 1. Nomina primæ declinationis in a desinentia (exceptis iis, quæ per canonem cognoscuntur significationis) generis sunt fœminini, ut hæc hora.

Ex. Excipitur tamen Adria pro Veneto mari; tum cometa & planeta, quæ sunt generis masculini.

Appendix.

Quæ uerò tertiæ declinationis in. a. desinunt; generis sunt neutrius, ut hoc thema, poema, Tum secundæ singulari carentia, ut arma.

E I.

2 In e & i. desinentia (modò latina illa sint) generis sunt neutrius; ut sedile, sinapi: frugi tamen est generis omnis.

O.

3 In. o. masculina sunt, ut sermo.

Ex. Ast in o carentia corpore, & uerbalia in io, quibus adduntur cænatio, portio, caro, Tum in do & go desinentia, sunt fœminina; ut religio, acceßio, longitudo, imago.

Hæc tamen cardo, ordo, udo, harpago, & ligo, sunt masculina, pondo uerò neutrum: præsto omnis generis; nam margo & cupido, sunt ambigua.

V.

4 In V, neutra ut cornu.

C.D.L.M.T.

5 In C.D.L.M.T. neutra; ut lac, quid, animal, aurum, frit,

Exc. Excipiuntur tamen sal, consul, & sol, quæ masculina; tum uigil, pugil, præsul, exul, quæ communia: & nequam, quod est generis omnis.

An, In, On,

6 In an, in, on, græca omnia, & masculina; ut poean, del fin, dæmon.

Exc. Excipitur tamen sindon, fœmininum: tum quæ in on sunt declinationis secundæ, ut barbiton xylon, quæ sunt generis neutrius.

En.

7 In en, neutra; ut nomen, flumen.

Exc. Excipiuntur tamen hæc latina; ren pecten, flamen, cum deductis à uerbo cano, ut tibīcen, lyrīcen, & hæc græca, lychen, splen, lien, attagen hymen, quæ sunt generis masculini.

Ar.

8 *In ar neutra, ut calcar, puluinar.*

Exc. *Excipitur lar masculinum, & par cum compositis quod est generis uniuersi.*

Er.

9 *In er masculina, ut puer, passer.*

Exc. *Hæc tamen, cadauer, cicer, iter, lasser, papauer, piper, ruder, spinther, tuber, uer, uber, & zinziber generis sunt neutrius: At pauper, puber, communis: linther autem fœminini.*

Ir.

10 *In Ir masculina, ut uir; martyr tamen commune.*

Or.

11 *In or masculina, ut amor.*

Exc. *Arbor tamen fœmininum est: at ador æquor, cor, & marmor, neutra: author uerò & memor, communia: compositaque à colore, corpore, & decore generis omnis, ut decolor, tricorpor, indecor.*

Vr.

12 *In ur neutra, ut murmur.*

Exc. *Masculina sunt tamen furfur, satur, turtur, et uultur: communia, Astur, Augur, fur, & Ligur: at omnis generis reperitur tantum cicur.*

As,

13 *In as fœminina, ut tempestas,*

exc. *Hæc tamen excipiuntur masculina, as aßis, uas*

uadis, mas, gigas, elephas, adamas. Neutra uerò uas uasis, fas & nefas: Ast gentilia in as, sunt generis omnis ut Arpinas.

Es.

14 In es fœminina ut fames.

Exc. Excipiuntur hæc mascula; ales, cespes, fomes, gurges, limes, magnes, merges, palmes, paries, pes, poples, satelles, stipes, termes, trames, gurges, meridies, et dies (nisi accipiatur pro tempore, tunc enim est fœmininum) tum etiam Græca in es tam declinationis primæ, ut cometes, æ; quàm tertiæ, ut lebes, tis.

Hæc uerò sunt communia, ales, antistes, cocles, comes, diues, eques, hæbes, hæres, hospes, indiges, inquies, interpres, locuples, miles, pedes, perpes, præpes sospes, superstes, teres, uates: Tum composita à pede & sedeo; ut bipes, obses cum similibus.

Is.

15 In is fœminina, ut turris, clauis.

exc. At hæc sunt masculina, amnis, anguis, axis, callis, caulis, collis, cucumis, ædilis, ensis, fascis, follis, fustis, glis, lapis, lybis, mensis, molaris, natalis, orbis, piscis, postis, puluis, riualis, sanguis, torris, torquis, uectis, uermis, uomis, unguis; Tum canalis, corbis, clunis, finis, quæ quatuor reperiuntur interdum generis fœminini: Item masculina sunt ea, quæ habent literam, n, ante is, ut funis, panis: tum

quæ deducuntur ab asse, ut bessis, semissis.

Hæc uerò communia; affinis, canis, ciuis, dis, extorris, hostis, iuuenis, samnis, sodalis, testis.

Hæc generis omnis, bicuspis, tricuspis, & exanguis.

OS.

In os masculina ut ros, mos.

exc. Exceptis his tribus cos, dos, glos quæ sunt fœminina: tum bos, custos, compos, impos, & sacerdos, quæ communia: & argos, chaos, epos, melos, os oris, & os ossis, quæ neutra.

VS.

Finita in us tam secundæ, quàm quartæ declinationis sunt masculina, ut Annus, Gradus.

exc. Hæc tamen sunt fœminina, acus, aluus, anus, carbasus, colus, domus, ficus, humus, idus, manus, porticus, tribus, uanus; tum quæ Græca in os, latinè efferuntur per us, ut papyrus, methodus cum similibus.

At uirus, uulgus, & pelagus neutra: quanquã uulgus reperiatur nõnunquam etiam masculinum: penus uerò & specus, dubia.

Append.

Finita in us tertiæ declinationis generis sunt neutrius, ut nemus uulnus.

exc. Hæc tamen sunt masculina, lepus & mus: tum hæc fœminina, incus, iuuentus, palus, pecus, pecudis, salus, senectus, seruitus, subscus. & uirtus: At grus, ligus, & sus, communia: in

tercus & uetus generis omnis.

In æs diphtongon, reperiuntur duo; æs æris neutrum, & præs prædis masculinum.

In aus, duo fœminina fraus & laus.

S.

Nomina monosyllaba in s, desinentia, ac consonantem alteram habentia ante s, generis sunt foeminini; ut gens, plebs.

exc. Excipiuntur hæc masculina: dens, fons, pons, & seps: tum hæc dubia; stirps, & scrobs.

Append.

Ast in s, polysyllaba, sunt masculina: ut cyclops, dodrans, cum cæteris partibus aßis, finitis in s, quæ post unciam sunt, sextans, quadrans, triens, quincunx, semißis, septunx, bes uel bessis, dodrans, dextans, uel decunx, deunx, as uel aßis.

exc. E' polysyllabis hæc excipito hyems & cohors quæ fœminina: tum bifrons, cælebs, cliens, efrons, infans, municeps, parens, princeps, & serpens, quæ communia:

Append. alt.

At participia & adiectiua nomina in has literas exeuntia; generis sunt omnis; ut amans, iners.

X.

In x finita, sunt generis fœminini, ut crux; cicatrix.

exc. Excipiuntur hæc masculina; abax, apex, bom

bix, calix, cimex, codex, culex, fornix, frutex, grex, harpax, iudex, limax, mulex, pollex, pulex, remex, thorax, uarix, uertix: Tum hæc dubia; calix, cortex, imbrex, obex, pumex & ſilex: præterea dux & coniux, communia.

Append.

Adiectiua in x, ſunt generis omnis ut fœlix edax.
Iam uerò numeralia nomina à quatuor uſque ad centum, quæ uariè exeunt, ut quinque, decem, uiginti cum his quæ interpoſita ſunt, quæque ſequuntur; ſunt generis omnis.

DE PRAETERITIS VERBORVM.

PRIMAE *coniugationis uerba præteritum mittunt in aui, ut amo amaui.*

exc. *Hæc tamen excipiuntur, quæ in ui ſyllabas ſeparatas exeunt; crepo, cubo, domo, frico, mico, (cuius tamen compoſitum dimico facit dimicaui) nexo, ſeco, ſono, tono, uetò; tum hæc duo quæ mittunt etiam & aui, neco, plico, ui, uel aui: duo itẽ quæ in ui, Lauo laui, iuuo iuui; tum ſto ſteti, do dedi.*

De ſecunda coniugatione.

SECVNDAE *coniugationis, uerba in ui diuiſas mittunt, ut doceo, docui.*

1. exc. *Excipito hæc, quæ in ſi: algeo, ardeo, fulgeo, iubeo, maneo, cum compoſitis (his quatuor tamen exceptis*

ceptis emineo, immineo, præmineo, & promineo quæ in ui diuisas exeunt) mulceo, mulgeo, rideo, sorbeo, quod item dat sorbui, suadeo, tergeo, & turgeo, tursi.

Sec.exc. *Hæc item quæ in di, sedeo, strideo, uideo, prandeo prandi, & pransus sum, quibus addun-tur quatuor primam syllabam geminantia mordeo, pendeo, spondeo, tondeo, momordi, pependi, spopondi, totondi mittentia.*

3.exc. *Hæc ī xi, augeo, frigeo, luceo, lugeo, sugeo, suxi.*

At in ueo desinentia, pariūt in ui; ut faueo, foueo, faui, foui: conniueo tamen dat connixi, & ferueo ferbui.

Appendix.

His addemus à priscis uerbis leo & pleo, composita, quæ item mittunt ineui; ut releo, compleo, releui, compleui: tum hæc quatuor cieo, fleo, neo et uieo, quæ dant ciui fleui, neui, & uieui; oleo uerò dat olui, cùm ab eo composita exeant in eui, ut redoleo redoleui sic adoleo.

At audeo, gaudeo & soleo, instar paßiuorum habēt præteritum, ausus, gauisus, & solitus sum.

De Tertia coniugatione.

TERTIAE *coniugationis uerbis, cùm diuersè illorum exeant præterita, communis canon ascribi non potest, ad quem omnia referantur; sed uariæ terminationum aßignantur regulæ, ad quas*

erit alphabetico ordine recurrendum.

Bo.

1 *Finita in bo pariunt in bi, ut bibo bibi.*
exc. Scribo tamen facit scripsi, nubo nupsi, compositaque à cubo, in ui diuisas mittunt; ut accumbo accubui.

CO.

2 *In co, sunt hæc quinque; ico, dico, duco, parco, uinco, faciētia ici, dixi, duxi, parsi, seu peperci & uici.*

Appendix.

In sco desinentia, expuncta, s, in ui creant; ut cresco creui. quamuis careat glisco.
exc. Compesco tamen & dispesco dant compescui dispescui; tum disco didici: Iam uerò inchoantia uerba quæ in sco desinunt, à sua origine mutuantur præterita; ut exardesco exarsi ab exardeo, sic calesco calui à caleo, cum similib.

Do.

3 *Finita in do faciunt in di, ut offendo offendi.*
At hæc tria .n. abiiciunt; fidi, fudi, scidi, a findo fundo, scindo: hæc uerò di geminant, cado cĕcidi, pedo pepēdi, pendo pependi; tendo tetendi tudo tŭtŭdi: tum composita à uerbo do, ut reddidi perdidi.
Hæc præterea in si exeunt, cedo, cudo, diuido, lædo, ludo, rado, rodo, trudo, uado claudo plaudo plausi.

GO.

4 *In go finita, pariunt in xi; ut fingo finxi.*

exc. Hæc tamen in si mittunt; spargo, mergo, uergo: Hæc in gi, ago egi, frango fregi, pango pegi pepigi & panxi; pungo pupugi interdum etiam punxi; tango tetigi, lego legi, & sic composita ut perlegi, relegi; quamuis hæc tria in xi mittant intellexi dilexi neglexi,

Ho.

5 In Ho duo, & ea in xi; traho traxi; ueho uexi.

Io.

6 Finita in io uocales, sunt hæc; iacio ieci, facio feci; tum composita à priscis uerbis licio et spicio, quæ dant exi; ut allicio allexi aspicio aspexi, unicum tamen elicio dat elicui: at capio cepi, cupio cupiui, fodio fodi, fugio fugi, meio minxi, pario peperi, sapio sapui, rapio rapui, quatio quaßi geminato ß. cum compositis; ut cōcußi percußi.

Lo.

7 Desinentia in lo, præterita habent in lui, ut colo colui.

exc. Excipe hæc quæ diuersa obtinent; excello excelli & excellui sic antecellui præcellui, fallo fefelli, pello pepulli, percello perculi & percuesi, psallo psalli et sallo salli, uello uelli uel uulsi, tollo sustuli, nam præteritum tetuli aboleuit.

Mo.

8 In mo, in ui diuisas mittunt, ut uomo uomui.

exc. Excipito hæc, como compsi, demo dempsi, emo emi, premo preßi, promo prompsi.

No.

9 *In no hæc: cano cecini (cum tamen ab eo compoſita in ui diuiſas mittant, ut concinui recinui) cerno creui, gigno genui, lino lini. uel liui, pono poſui, ſino ſiui, ſperno ſpreui, ſterno ſtraui & temmo tempſi.*

Po.

10 *In Po, pariunt in pſi; ut ſerpo ſerpſi.*

exc. *At hæc duo non ſeruant canonem, rumpo rupi ſtrepo ſtrepui cum compoſitis.*

Ro.

11 *In Ro hæc; curro cucurri, gero geßi, quæro quæſiui, tero triui, uro ußi, uerro uerri uel uerſi, ſero ſeui, quod præteritum ſequuntur ea compoſita, quæ pertinent ad rem ruſticam, ut conſero conſeui; nam cætera, per ui diuiſas mittunt; ut diſero aßero diſerui, aßerui cum ſimilibus.*

So.

12 *Finita in ſo, pariunt ſiui; ut laceſſo laceßiui.*

exc. *Hæc tamen quatuor capeſſo, faceſſo, inceſſo, & uiſo dant capeßi, faceßi, inceßi & uiſi: pinſo autem dat pinſui.*

To.

13 *In To, hæc; flecto flexi, plecto plexi, at necto ſeu nexo & pecto dant xi ſiue xui. meto meſſui, mitto miſi, peto petiui, ſterto ſtertui, uerto uerti, ſiſto ſtiti, & ſteti, compoſita uerò tantùm ſtiti.*

V O.

14 *De V litera uocali, liquida et conſonanti ante. o.*

Verba in V ò uocales ac diuisas syllabas exeuntia, in ŭi item diuisas mittunt; ut induo indui, imbuo imbui.

exc. *Excipiuntur hæc tria; fluo, pluo, struo, quæ dant fluxi, pluui, struxi, At quæ V liquidam ante, o, habent; in xi pariunt; ut tinguo linguo coquo, tinxi, linxi, coxi, quãuis linquo mittat liqui Quæ uerò eandem habent consonantem; in ui faciunt: ut solui, uolui calui, unicum tamen uiuo dat uixi.*

15 *In xo hæc duo, nexo texo, nexui texui.*

De Quarta coniugatione.

1 *QVARTAE coniugationis uerba præteritum habent in iui, ut audiui nutriui.*

exc. *Hæc tamen aliter exeunt; farcio, fulcio, raucio, sarcio, farsi, fulsi, rausi sarci; amicio amicui & amiciui; haurio hausi, salio salŭi & saliui (& sic composita ut exilio) sancio sanxi, sepio sepsi, uenio ueni, uincio uinxi, nonnunquam item uincitui; compositaque à pario in ui diuisas mittunt; ut aperui, operui, exceptis tamen duobus comperio, & reperio, quæ dant comperi reperi.*

In uerborum præterita atque item coniugationes obseruatio.

In præterita Canon primus.

Verba composita è simplicibus priorem syllabam in præterito geminantibus, simplicis priorem

abijciunt; ut mordeo momordi, remordeo remordi, tendo tetendi, intendo intendi cum similibus.

exc. *Excipiuntur tamen composita ab his quatuor; posco, disco, sto, do, quæ utramque retinent; ut repo posci, edidici, constiti, reddidi: Item repupugi à pungo, & præcucurri à curro, quæ sola geminant, cùm cætera composita amittant; ut compugi, accurri.*

In coniugationes canon secundus.

VERBA composita suorũ simpliciũ sequuntur coniugationem, ut amo amas, redamo redamas, lego, legis, relego relegis, & sic cætera.

exc. 1. *Do das cùm sit primæ, ab eo tamen composita (his tribus exceptis circundo, uenundo, pessundo, as) sunt tertiæ; ut reddo reddis, perdo, is, sic addo, prodo, cum similibus.*

exc. 2. *Eiusdem sunt etiam coniugationis à lauo, as, composita; ut abluo, diluo: Tum ea quæ à cubo, modò illa desinant in umbo; ut recumbo recumbis; nam quæ iu ubo, sunt primæ; ut recubo, as, cum similibus.*

exc. 3. *A cieo item secundæ coniugationis uerbo, quæ reperiuntur composita, quartam sequũtur; ut accio accis accire.*

Cuius etiam sunt coniugationis quæ componuntur à pario, ut comperire reperire; tum unicum resipire à sapio, nam desipio simplicis sequitur tertiam.

DE SVPINIS.

1 VErba mittentia præteritum in bi, supina habent in tum; ut bibi bibitum; lambo tamen & scabo carent.

Ci, Gi, —— ctum.

2 In ci & gi, mittunt in ctum; ut uici uictum, legi lectum; peperci tamen alterum præteritum à parco, dat parcitum, alterum autem parsi, parsum; tum fugi fugitum.

Di —— sum

In di mittentia, supinum habent in sum; ut uidi uisum, momordi morsum.

Ast hæc ss geminant; sedeo sessum, fodio fossum; hæc etiam n amittunt; findo fissum, fundo fussum, pan do passum, scindo scissum, tundo tussum & tunsum, at tendo, tensum & tentum, edo esũ & estũ.

A' præterito dedi exit supinum datum, & sic in cõpositis quæ sequuntur primam, ut circundătum uenũdătum, at eorum quæ terliam, supinum exit in i tum; ut redditum, perditum.

Li —— sum.

4 In li, sunt hæc formantia supinum in sum; exculi excelsum, fefelli falsum, pepuli pulsum, perculi perculsum, salli salsum, & salitũ, uelli uulsum, at tuli latum.

Mi Pi Psi —— ptum.

5 In mi, pi, psi, supina habẽt in ptum; ut emi emptũ rupi ruptum, carpsi carptum.

Ni

6 In ni duo; ueni uentum, cecini cantum, cuius composita amutant in e, ut concinui concentum.

Ri

7 In ri hæc duo dant sum, cucurri cursum, uerri uersum; at pario paritum habet & partum, cùm ab eo deducta mittant in ertum, ut comperio compertum.

Si—sum.

8 Præterita in si habent supina in sum; ut risi risum: hæc etiam s geminant, cessum cussum, iussum, missum, pressum.

exc. At hæc uariè efferunt; geßi gestum, hausi haustum, indulsi indulsum et indultum, torsi tortum & torsum, usi ustum: tum hæc tria farsi fulsi sarsi, mittunt fartum fultum sartum.

Ti,

9 In ti hæc; uerti uersum, steti statum, à quo composita mittunt in itum & in atum, ut constitum uel constatum, at sisto stiti dat statum, compositaque solum itum, ut astiti astitum.

Xi & Qui —— ctum.

10 In xi & qui mittunt in ctum, ut duxi ductum liqui, lictum: hæc tamen amittunt n, finxi, minxi, pinxi, rinxi, strinxi, strictum.

Hæc uerò dant xum, figo, flecto, fluo, nexo, pecto, pexum.

Vi diuisæ —— itum.

11 Quæ in ui diuisas syllabas exeunt, supinum habent

in itum;ut uetui uetitum.

exc. Excipe tamen ab hoc canone hæc; alui alitum et altum, amicui amictum, carui caritum & cassum, censui censum, colui cultum, consului consultum, excellui excelsum, sic antecelsum & præcelsum, messui messum, misceo mistũ, nexui, nexũ ocului ocultum, patui passum, pexui pexum, pinsui pistum, rapio raptum, tenui tẽtum, texui textum, torreo tostum; tum fricui, necui, secui, quæ dant frictũ nectum sectum; compositaq; à sero, quæ in ertum, ut diserui disertum, deductaq; à cano, quæ in entum; ut concinui concentum, nam à pario mittunt in ertum ut repertum, compertum.

Append.

Iam uerò si præteritum in ui erit à uerbo exeunte in uo diuisas, tum supinum erit in utum, ut in duo indui indutum, dirui dirũtum, quanuis eius simplex ruo mittat ruitum.

Vi——tum.

12 *Præterita in ui, supina habent in tum; ut amaui amatum.*

exc. Excipe adoleui, quod dat adultum, agnosco cognosco, agnitum cognitum; caui cautum, faui fautum, seui satum, inseui insitum, conseui consitum laui lotum, lautum, & lauatum, paui pastum, potaui potum & potatum, saliui saltum, ueniui uenum, uolui uolũtum, solui solutum, & sepeliui sepultum.

In Verborum communium deponentiumq; supina & præterita, obseruatio.

Communium deportentiumq; uerborum supina elicies quàm facillimè, si eorum uocem fingas actiuam, atque inde assumas supinum; ut ab imitor imitaris, finge imito imitas à quo sume imitatum; sic à uereor uereris, uereo ueres, à quo ueritum cum similibus; è ipsis autem supinis, m, mutata in s, formato præterita, ut ab imitatum imitatus, à ueritū ueritus, & sic reliqua.

exc. *Excipiuntur tamen non nulla quæ aliter exeunt, illa usus, & magistri docebunt; eius generis sunt, fateor fateris fassus sum: proficiscor profectus: reor ratus; misereor misertus: ulciscor ultus: gradior gressus: orior orsus; loquor loquutus: cum paucis alijs id genus.*

DE VERBIS ANOMALIS *seu deficientibus. Canon.*

Anomala hic, deficientiá ue illa appellamus uerba, quæ aut ratione flectendi, aut modi, temporis, præteriti, supini ue defectione ad plurium regulam non quadrant.

De ijs quæ non quadrant ratione flectendi.

Sum, uolo, fero, edo, quibus addito etiam fio, & eo

cùm nullam communium quatuor sequãtur perpetuò coniugationem, dicuntur anomala.

De ijs quæ deficiunt modis, seu temporibus.

Memini, odi, coepi & noui, præterita sunt & solummodo habent sex tempora quæ ab ipsis formantur præteritis, hæc nempe ram, ssem, rim, ssem, ro, sse; quamquam memini in imperanti modo memento & mementote retinet.

HORVM hæc tẽpora & personæ reperiuntur duntaxat.

Quæso, pluraliter, quæsumus.

Inquio uel inquam, inquis, inquit. pl. inquiunt. fut. inquies inquiet, inquient. Imp. mod. inque inquiat.

Aio ais ait. pl. aiunt. aiebam, bas, bat; aiebamus, batis, bant. fut. aies. Imp. mod. aiat, aiamus, aiant.

Fut. ind. mod. ausim tantùm in prima persona.

Fut. eiusdẽ modi faxo faxis faxit, faximus, faxint.

Ind. mod. infit, infiunt.

Imp. mod. aue, aueto, auete, auetote, auere.

Salue salueto, saluete, saluetote, saluere.

Vale ualeto, ualete, ualetote. ualere, quamuis dicamus etiam ualebis & saluebis.

Opt. & sub. mod. forem, fores, foret, Inf. fore.

Daris, faris, furis, cum personis & temporibus quæ sequuntur, sunt à primis personis dor, for, & furo, quæ non extant.

Tum hæc alia, quæ sunt comico portæ perquàm familiaria: cædo cædite; apage apagete, sodes, sultis, sis, apagesis, capsis, uidesis, cauesis, quæ item à quibusdam in coniunctionum loco poni solent.

De verbis deficientibus pręterito, & supino.

PRAETERITO *carent hæc; furio, fero, tollo, ferio, glisco cum omnibus inchoantibus uerbis: è iis tamen præter glisco, cætera omnia mutuantur ab aliis, ut insaniui, tuli, sustuli, percußi, & sic exardesco exarsi, ab exardeo è quo deducitur, cum similibus.*

Supino carent primo quæcunq; carent præterito, ut aio, glisco; carent item actiua, neutra, deponentiaq; nonnulla; cuius generis sunt timeo, disco, fulgeo, frigeo, medeor, reminiscor, cum aliis non nullis.

FRANCISCI BRITI LVSITANI DE OCTO PARtium orationis constructione.

LIBER SECVNDVS.

Syntaxis (latinè constructio) est recta & legitima partium orationis in ipsamet oratione constitutio .

Huius consecutiones sunt duæ; concordantia, & regimen.

Concordantia (latinè conuenientia) est triplex; Adiectiui cnm substantiuo ; Nominatiui cum uerbo; Relatiui cum antecedente.

Regimen autem uarium & multiplex.

Sed utrunq; iam nos, quàm breui fieri poterit, cõplectamur.

ADIECTIVVM cum substantiuo in tribus conuenire debet; in genere, numero , & casu , ut Vsus mirificus: Amicitia uetus.

Relatiuum cum antecedente in genere & numero congruet; ut eandem fidem hominum in tua dignitate sensisti, quã ego in mea salute sum expertus.

Append.

At idem positum inter diuersi generis substantiua, quæ significent rem eandem; in genere cum utronis conueniet: ut Propius à terra Iouis stella fertur, qua Phaëton dicitur. & Animal plenum

rationis & consilii, quem uocamus hominem.

De nomine cum genitiuo.

Quoticscunque in oratione continua subsequens substantiuum referetur ad primum; subsequens erit casus genitiui: ut columen Reip. exemplum imperii ueteris.

Append.

At si illorum utrumque rem significabit eandem, tum per appositionem utrumq; casus erit eiusdem: ut poëta Terentius: urbs Pataunium: Alexis delitiæ meæ.

Nomina item significantia partitionem, genitiuum aciscunt; ut uterq; uestrum; tertius nostrum: aliquis gentis Venetæ: nescio quis horum.

Genitiuos quoque exigunt comparatiua cùm duas res eiusdem generis diuidunt; ut oculorum sinister acutior: manuum dextera fortior.

Alioquin cum ablatiuo construitur comparatiuus; ut fuit Vlysses eloquentior Aiace.

Atque hunc ablatiuum mutabis in casum similem præcedenti, quoties comparatiuum sequetur dictio quàm; ut fuit Vlysses eloquentior quam Aiax: & constat fuisse Vlyssem eloquentiorem quàm Aiacem.

Superlatiua genitiuum pluralem uolunt (nisi sit ille nominis collectiui) ut Achylles fuit Græcorum fortissimus.

Reperiuntur hæc tamen interdum etiam cum abla-

tiuo cum præpositionibus è, de, ex; & in accusatiuo cum inter, & ante, sed hæc rarius, ut è, de, ex, omnibus laboribus; uel inter ante omnes labores. &c. hic hodiernus longè difficilimus.

Notandum etiam comparatiua & superlatiua præter suos proprios casus, de quibus iam dictum, positiuorum item constructionem admittere: ut tuæ literæ mihi omnium fuêre gratissimæ; & me fateor auidiorem cæteris esse gloriolæ.

De usu comparatiui, & superlatiui.

Quoties inter plura eiusdem generis comparatio fiet; utemur semper superlatiuo: ut Hector Troianorum fortissimus: & scolasticorum hic multo diligentissimus.

Quamuis hæc per comparatiuum uerti possit oratio, adhibito relatiuo diuersitatis, ut Hector Troianis cæteris fuit fortior: & hic scolasticus reliquis multò diligentior.

Comparatiuo autem utemur, cùm facta erit comparatio inter duas res; uel inter plures diuersi generis; ut uirtus omni præstantior auro: & uilius uirtutibus aurum.

De alijs nominibus.

Verbalia in ax; & participia tam præsentis temporis, quàm præteriti, cùm fiunt nomina, genitiuũ aciscunt: ut Tẽpus edax rerum: Patiẽs algoris: Doctus sermonis utriusque linguæ.

Nomina item in Idus, Ius, & osus, eundem casum

postulant, ut Nouitatis auidus: Conscius recti: Nouarum rerum curiosus.

Adiectiua nomina scientiam, copiam, desiderium aut his contraria significantia, genitiuum regunt; ut prudens consilii: Diues pecoriis. Auarus pecuniæ: & sic contraria, Gnarus malorum: inops opum; cum similibus.

Significantia similitudinem æqualitatem, aut contraria; genitiuum, uel datiuum regunt: ut filius similis patris uel patri; seruus æqualis domini, uel domino; sic dißimilis, inæqualis, & his similia.

Eandem etiam constructionem habent hæc nomina; cognatus, propinquus, affinis, amicus, finitimus uicinus, & alienus: ut affinis Cæsaris, uel Cæsari, & sic cætera.

Substantiua nomina habere possunt genitiuum, uel ablatiuum significantem laudem uel uituperiũ; ut uir summæ prudentiæ, uel summa prudentia, senex uesanæ mentis, uel uesana mente.

Eosdem casus habet hoc nomen certior; quanquam ablatiuo additur præpositio De; ut uellem domesticarum rerum fieri certior, uel de rebus domesticis.

Cum Datiuo.

Nomina quibus utilitas, damnum, gratificatio, uoluptas, summißio aptitudo significatur, aut contra; datiuum regunt: ut utilis aliis: innutilis

tilis sibi:gratus omnibus:suauis cunctis: obnoxius nemini:aptus bello(quãuis item ad bellũ:) & sic ingratus,insuauis,ineptus,& similia.

Itẽ uerbalia in bilis passiuæ significationis,& participia in dus,cum fiunt nomina; ut heu flebilis quantis occidit:& res memoranda nouis annalibus.

Cum accusatiuo.

Nomina adiectiua mensuræ regũt accusatiuum uel ablatiuum mensuræ;ut caulis altus palmum: lignũ longũ sesquipede,sed ꝑ accusatiuũ usitatius

Quam constructionẽ,præter suum propriũ casum, habent ẽt comparatiua; ut sum te altior tribus digitis: qui itẽ ablatiuus ẽ frequẽtior accusatiuo

Iam uerò quæ à poëtis,Græca consuetudine, accusatiuis iunguntur;ea omnino fiunt per figuram synecdochen:qualia sunt,nuda genu;& sinus collecta fluentes.i.habens sinus fluentes collectos,cũ similibus,

Cum ablatiuo.

Hæc adiectiua cõstruuntur cum ablatiuo; ornatus, præditus,refertus,contentus, fœcundus, locuples,diues,onustus,dignus,indignus,plenus, captus,cassus,extorris,orbus,uacuus,uiduus,trũcus,fretus,& plenus:ut dignus es odio;negotiis curisq́; uacui: quanuis etiam dignus, & plenus cum genitiuo.

Sunt etiam adiectiua nonnulla habentia post se ablatiuum eius rei, secundum quam uel ratione

cuius affirmatur de quopiam: ut Andrius gene re: albus colore: prudens consilio : maximus natu : Lusitanus natione.

Iam uerò substantiuum & adiectiuum absolutè quin regantur ab aliquo, in oratione interdum collocantur, cùm præsertim tempus rei, de qua agitur, significamus: ut Imperatore Charolo Q. primùm iu Indiam nauigatum est.

DE VERBO.

OMne uerbum personale finiti modi regit ante se nominatiuum eiusdem numeri, & personæ; ut ego scribo; tu canis; nos luditis.

De Verbo cum nominatiuo.

Omne uerbum substantiuum, & uocatiuum; aut q̄d illorum uim habet, construitur post se cum nominatiuo.

Substantiuum est sum, ut sum pius Aeneas.

Vim substantiui habent fio, existo, nascor; ut quod mihi putaui fore gaudium; id extitit exitium.

Vocatiua sunt nominor, uocor, dicor, & similia; ut septem fuisse dicuntur uno tempore; qui sapientes Græciæ uocarentur.

Vim uocatiuorum habent inscribor, cognominor, & similia; ut inscribar Elisa Sychæi.

Gaudent etiam nominatiuo, quæ, situm esse significant; ut scribo rectus, dormis supinus: incedit teter.

Videor item cum nonnullis aliis, quæ, cùm passiua sint, interdum tamen ponuntur reciprocè, utrinque habet nominatiuum: ut uideor elegans; censeris probus; & uirtus clara æternaq; habetur.

Cum genitiuo.

Memini recordor, obliuiscor, & reminiscor, genitiuum uel accusatiuum regunt; ut uiuorum memini, nec mortuorum obliuisci possum: & forsã & hæc olim meminisse iuuabit.

Misereor deponens, genitiuum regit; ut miserere laborum tantorum.

Satago solùm genitiuum (rerum) ut Clinia suarum rerum satagit.

Pœnitet, tedet, pudet, piget, miseret, præter accusatiuum habent etiam genitiuum; ut pœnitet me commissi sceleris.

Nõnunquam item loco accusatiui, infinitum; ut pœnitet me commisisse scelus.

Potior genitiuum uel ablatiuum regit; ut si poteris illius regni potiri; & potius est uirgine.

Interest, refert, & est (quæ quoties sequitur infinitus, sunt impersonalia) genitiuũ eius rei regunt, ad quàm significant pertinere: ut interest omnium recte facere. Reip. refert magis, quàm Regis: & est eius, qui aliis præsit, eorum, quibus præsit, commodis utilitatiq; seruire.

Interest tamen & refert loco genitiui, hos pronominum ablatiuos habent; mea, tua, sua, nostra, ue-

stra, & cuia: ut magni interest mea unà nos esse: & ea cædes potissimùm datur ei, cuia interfuit.

Quibus etiam ablatiuis hi genitiui unius, solius, ipsius, omnium, utriusq;, tum participiorum præsentis temporis in ans, uel ens genitiui addi possunt; ut tua ipsius interest: uestra omnium scio referre; & est nostra contendentium de salute imperij, uniuersũ ærariũ in bello gerẽdo effundere.

Adduntur præterea ipsis uerbis hi genitiui; tanti, quanti, magni; ut utriusq; nostrũ magni interest; nam cætera per aduerbia efferuntur; ut multum interest; magnopere refert; sic parum, plus, minus, minimè, cum similibus.

In uerba cum datiuo obseruatio.

Non sunt eius generis ea uerba, quæ post se datiuũ exigunt, ut ad plures illa, quemadmodum quæ cum aliis casibus, significationis regulas reducãtur: quare cùm in his cognoscendis iuuabit plurimum authorum usus, ac ipsa etiam materno idiomate loquendi ratio; tum subsequens canon, ea generatim complectens, quoad eius fieri poterit, demonstrabit.

Omne uerbum, cuiuscunque modò illud sit, generis, datiuum aciscit eius personæ, in cuius gratiam utilitatem úe aliquid fieri dicimus, uel contra: ut tribuo, seruio, gratulor, largior tibi: sic repugno, noceo, refragor omnibus.

Cum accusatiuo.

Omne uerbum actiuum, aut deponens actiuæ significationis, aut commune, cùm in actiua significatione dicitur, construitur cum accusatiuo, significante rem patientem: ut deum cole: bonos imitare: amplectere literas.

Cum quo casu ueteres construebant hæc deponētia; fruor, fungor, uescor, utor; sed usus dedit ablatiuum: ut fruor consuetudine tua; fungor officio.

Quædam loco accusatiui, habent infinitum alterius uerbi, qualia sunt uolo, paro, ut Aeneas parat ire uenatum.

Interim infinitum cum suo casu; ut puto te audisse omnia.

Rogandi, docendi, uestiendiq́; uerba, tum hoc uerbum cælo, cum duobus, cōstruuntur accusatiuis; ut doceo te egregios mores: & me rem honestam rogas.

Rogandi tamen hæc; peto, flagito, contendo, postulo, precor, primūm, hoc est, rogatæ personæ accusatiuum in ablatiuum cum præpositione à uel ab mutant; ut peto, contendo, precor a te. sic ētt dicimus quæro ex te.

Induendi item exuendiq; uerba qualia sunt induo, exuo, uestio, calceo, singo, posteriorē etiam, hoc est, accusatiuum rei, in eundem ablatiuum mutant, quamuis sine præpositione: ut indui me nouam uestem, uel noua ueste: sic exui me chlamydem seu chlamyde.

Omne nomen significans spatium temporis, modò interrogatio fiat per quandiu, in accusatiuo poni potest post quod uis uerbum; ut scripsi totam noctem: & ægrotaui multos dies.

Appendix.

Quamquam in ablatiuo id reperiatur nonnunquã; ut ibi tribus diebus sum commoratus, siue tres dies.

Si uerò interrogatio facta erit per quando, tunc in ablatiuo ponemus tantum; ut qui hyeme serit, æstate metet: & luce uigila, nocte dormi: qualia sunt, nocte, luce, die, hora, mense, anno, cum similibus.

Nomina item significantia loci spatium, siue mensuram, in accusatiuo post uerba poni solent: ut hinc mille passus abcessit; abest à nobis milliarium: à tuo latere, ne latum quidem unguem, recedam: sic pedem, digitum, cubitum, cum similibus.

Appendix.

Quanquam reperiuntur etiam hæc, sed rarius tamen in ablatiuo; ut abest hinc tribus passuum millibus.

Accusatiuum præterea nominis facti è uerbo, ac ipsius significantem rem uerbi, aciscunt ferè hæc absoluta uerba; uiuo, eo, ambulo, curro, furio, dormio; cœno, seruio, pugno, gaudeo, ludo: ut eo iter; uiuo uitam: & hunc scio mea solidè solum gauisurum gaudia.

Iam uerò hæc, albet dentes; expleri mentẽ nequit,

olet hircum (quæ item efferuntur per ablatiuum, ut albet dentibus; expleri mente nequit; ægrotat animo; cum similibus) poëtis & historicis familiaria sunt; & omnino ad synecdochen referenda.

Cum ablatiuo.

Omne nomen instrumenti uel causæ, qua res fit, in ablatiuo ponitur post quoduis uerbum; ut percussit me sica; tacui pudore.

Verba significantia copiam uel inopiam, post se ablatiuum regunt; ut circumfluis omnibus rebus: & uir sapiens planè caret ægritudine.

Egeo tamen & indigeo, etiam genitiuum regunt; ut grauitas morbi facit, ut medicinæ egeamus.

Verba accusandi, absoluendi, & damnandi post accusatiuum regunt etiam genitiuum uel ablatiuum significantem pœnam uel crimen; ut si me accusas negligentiæ, condemnabo eodem ego te crimine.

Cui ablatiuo interim additur præpositio de, ut non committam posthac, ut me accusare de epistolarum negligentia possis.

Hæc tamen nomina, quæ non sunt propria criminũ, alius, alter, ambo, neuter, uterq;, nullus, ponuntur cum his uerbis in ablatiuo cum præpositione uel sine; ut damnatus es ne furti, an sacrilegij, an utroq; seu de utroq; ?

Monendi uerba genitiuum uel ablatiuum cum præpositione de, regunt: ut moneo te tui officij, uel

de tuo officio.

Append.

Quanquam hæc reperiantur interdum cum gemino accusatiuo; ut Fabius ea me ex tuis mandatis monuit, quæ mihi in mentem uenerant.

Nomina significantia precium, in ablatiuo ponuntur post quoduis uerbum; ut uendidit hic auro patriam: & leges precio fixit atq; refixit.

Nonnulla tamen ponuntur in genitiuo; qualia sunt substantiua, nihili, flocci, lucri, nauci, assis, pili; tum hæc adiectiua; huius æqui, boni, parui, magni, pluris, minoris, plurimi, maximi, tanti, quanti, cum compositis ut tanti facio, parui æstimo.

E quibus etiam adiectiuis (cùm illis substantiua in eodem gignendi casu addi non possint) hæc nempe paruo, magno, minimo, plurimo, paulo, nimio, in ablatiuo ponuntur, interim cum substantiuo, interdum sine: dicemus itaq;, æstimo te magni, uel magno, uel magno precio.

Sunt item in oratione ablatiui quidam, qui à subintellecta præpositione reguntur: ut abiit magistratu: & hæc non sunt hoc loco ac tempore facienda; pro à magistratu, & in hoc loco, & tempore.

Omne uerbum passiuum post se ablatiuum agentem cum præpositione à uel ab poscit; ut laudatur ab his, culpatur ab illis: qui ablatiuus in nominatiuum actiui uerti potest: ut hi laudant; illi culpāt

Interdum tamen Græcorum more, loco ablatiui da

tiuus iungitur, ut amaris omnibus; & honesta bonis uiris quæruntur.

Notandum etiam eosdem casus post agentem, & patientem ita in passiua manere, ut iacebant in actiua: ut tu docēris à me bonos mores: & uestis datur à me pignori tibi, cum similibus.

De Verbo substantiuo.

Sum uerbum substantiuum regit post se nominatiuum, ut sum pius Aeneas: cùm refertur ad officium, uel possessionem poscit genitiuum, ut nō est sapientis dicere non putaram: & datiuum unum, ut est mihi pater. i. habeo patrem; interdum duos datiuos; ut hæc res tibi erit gloriæ: aliquando etiam ablatiuum laudis uel uitupe-rij, ut fuit semper mirifico animo erga bonos; qui ablatiuus in genitiuum potest uerti, ut fuit semper mirifici animi erga bonos.

Sum item cum hac dictione opus, præter datiuum habet etiam ablatiuum; ut opus est mihi hac re: qui ablatiuus in nominatiuum uerti potest; ut hæc res est mihi opus.

Ponuntur etiam præter suos proprios casus post uerba præpositiones cum suo casu; ut scripsi ad te literas: & nihil isthac opus est arte ad hanc rem, quam paro.

Verba composita sæpe admittūt post se casum præpositionis cum qua sunt composita: ut induco animum, adeo illum.

Et repetita præpositione, ut induco in animum: adeo ad illum.

Quæ constructio frequens est in uerbis compositis cum præpositionibus à, ab, con, de, e, & in; ut auerte animum à turpi lucro : abstinuit se ab iniuria : applicat animum ad literas : noli conferre diuitias cum uirtute : inuidia est detrahere de fama alterius : Clodius expulit Ciceronem ex Italia: in ignem se noluit iniicere : in amore hæc omnia insunt uitia.

De constructione & usu infiniti.

Infinitum accusatiuum ante se exigit, post se uerò casum uerbi: ut puto te didicisse hæc omnia ; & studuisse lectionibus.

Quædam tamẽ à posteriore parte nominatiuum habent, præcedentibus uerbis optandi; ut tu studes uideri probus : & malo esse, quàm haberi religiosus .

Atq; hic nominatiuus in accusatiuum uerti potest, si infinito idem casus antecedat; ut malo me esse, quàm haberi religiosum.

Infinito uerò utimur, quoties in sermone materno duo ponũtur uerba, quorum secundum modi est indicantis ac pendet è primo interposita particula (che) cuius particulæ loco accusatiuus agens ponatur oportet, ac alterum uerbum in idẽ tempus infiniti mutetur, in quo erat in indicanti; ut gratia exempli [sapete ch'io riceuo gran-

de allegrezza dalle, ò con le uostre lettere] scis me capere incredibilem uoluptatem ex tuis literis [che riceuei] me cepisse. [che riceuerò] me capturum, cum similibus.

Quod si alterum uerbum, quod uernaculè in indicãti est, non pendebit ex altero; tum id ponemus in subiungenti; ut [ha orato con tanta eloquenza, che certo mi parse un'altro Cicerone] tam eloquenter dixit, ut mihi penè uisus sit alter Cicero. & [m'ha pregato si caldamente, che non hò possiuto lasciar de fauorirlo] me tam uehementer obsecrauit, ut hominem non potuerim non amplecti.

Iam uerò si particula [che] cum uerbo sit coniuncta subiungẽtis, tum temporis cum [ut] ipso utemur subiungenti; ut [desio che tu me scriui souente] uellem ut ad me scribas sæpius; sic scriberes cum cæteris quæ sunt modi eiusdem.

De Gerundijs.

Gerundi uoces in di, iunguntur instar nominum substantiuorum genitiui casus; interim cum substãtiuis, ut tempus scribendi; causa uisendi: interim cum adiectiuis; ut certus eundi, peritus bellãdi.

Gerundi uoces in do, constructionem habent nominum substantiuorum ablatiui casus, interdum sine præpositione, ut cantando tu illum uicisti? i. cantu. Interdum cum præpositionibus a, ab, è, ex, in, pro, & cum; ut labor deterret a discendo.

Finita in dum, iungũtur quatuor præpositionibus; ad, ante, inter, & ob, ut locus ad agendum amplissimus: inter cœnandum, pecuniam obiudicandum accepit: ante domandum equi ingentes tollunt animos.

Gerundi uoces in participalia adiectiua sic mutantur; causa uidendi Romam; causa uidẽdæ Romæ: legendo libros, legendis libris: ad accipiendum literas, ad accipiendas literas.

De Supinis.

Supina in tum ponuntur post uerba motus; ut cur te is perditum? coctũ non uapulatum sum conductus: cæterùm post se construuntur cũ casu uerbi

Supina in tu, ferè passiuæ sunt significationis, & iunguntur adiectiuis; ut res digna auditu: difficilis factu.

De nominibus propriis oppidorum & pagorum.

Quadruplex constituitur interrogatio, ad quã in uariis casibus redduntur Oppidorum nomina; Quo, Vnde, Qua, & ubi.

Ad quæstionem Quò, ponũtur nomina propria Oppidorum & pagorum cum his duobus appellatiuis Domus & Rus, in accusatiuo sine præpositione; ut quò uadis? uado Romam, Patauium, Venetias, Parisios, Neapolim, rus, domum.

Ad Vnde, uel Quà, in ablatiuo cum iisdem duobus appellatiuis; ut unde uenis? uenio Roma: Pata-

uio. Venetiis, rure, domo, Quà Transiuisti? Parisiis, Verona.

Ad quæstionem Vbi, propria si fuerint primæ aut secundæ declinationis, ac numeri singularis, ponentur in genitiuo; ut ubi didicisti literas? Romæ, Patauii.

Si uerò fuerint tertiæ; aut primæ uel secundæ numeri pluralis, ponentur in datiuo, uel in ablatiuo cum appellatiuo rus: ut uixi Neapoli Tarragoni, Venetiis: Parisiis: Ruri: uel Tarragone, Parisiis: rure: in ablatiuo.

Propria tamen etiam aliquando cum præpositionibus leguntur; ut Eo die Verres ad Messanam uenit: & uenio de Tarento.

Hæc uerò quatuor appellatiua, domi, humi, belli, militiæ ad q̃onem ubi ponuntur etiam in genitiuo; ut domi te continens: & fui militiæ,

At cum hoc genitiuo domi, non nisi hæc iunguntur adiectiua: meæ, tuæ, suæ, nostræ, uestræ, & alienæ; ut mauis cœnare alienæ domi, quàm tuæ.

Genitiuus præterea humi, non solùm iungitur. uerbis significantibus quietem; ut iacet humi; sed ẽt his, quæ motum significant; ut serpit humi, sternit humi.

AT reliqua nomina locorũ, aut certè communiũ, ad interrogationes Quò & Vnde in iisdem casibus collocantur; sed cum præpositionibus ut eo in Italiam, in Galliã, in Siciliã, & sic in tẽplũ

gymnasiũ; Venio ex Hispania, Aegypto, Asia, foro, templo, cum similibus.

Ad interrogationem Vbi, ponuntur in ablatiuo cũ præpositione In; ut Vixi in Italia, Hetruria, Lusitania; sic fui in templo, gymnasio cũ similibus.

Ad quæstionem uerò Quà ponuntur in accusatiuo cum præpositione per; ut transibo per Galliam, Liguriam, templum forum.

De aduerbiis.

Quædam aduerbia loci, genitiuis inueniuntur iuncta; ut ubi, ubi nam, nusquam gentium, longè gentium, eò loci.

Temporis aduerbia. ut nunc temporis, interea loci, pridie postridie eius diei.

Et duo postrema cum accusatiuis leguntur; ut pridie compitalia, postridie Idus.

Quantitatis; ut parum sapientiæ, satis eloquentiæ.

En & ecce cum nominatiuo uel accusatiuo leguntur; ut en Priamus: eccẽ miserum hominem; sed frequentius cum nominatiuo.

O & heus cum uocatiuo ut o Pamphile heus iuuenes.

Quædam item admittunt constructionem earum partiũ, ex quibus ipsa deducta sunt; ut propius urbem: similiter patris: utiliter tibi. quia dicimus prope urbem: similis patris: utilis tibi.

Eò etiam fit, ut quæ comparantur aduerbia, suæ cõparationis casus exigant: ut celerius opinione

hominum Cæsar uenturus esse dicitur; & de hac re tu disertissimè omnium disputasti.

Ceu, quasi, nisi, tanquam, cum similibus copulandi similes casus uim habent; ut te moneo tanquàm filium, & tibi quasi patri id dico.

Quanquam, etsi, tametsi, iunguntur frequentius indicatiuis; quamuis, & licet subiunctiuis; ut quã quam mihi semper frequens uester conspectus multò iocundissimus est uisus Quirites: & ipse licet uenias musis comitatus Homere.

Tamquàm, æque, parum, satis, multum, iunguntur positiuis; ut tàm humanus, æquè doctus.

Tantò quantò, eò, quò, paulò nihilo, comparatiuis; ut quò quisque nobilior, eò humanior.

Multò tamen & longè etiam superlatiuis iunguntur; ut multò iocundissimus; longe peritissimus.

Aduerbia quæ interrogant, sunt hæc; ubi, unde quò quà quorsum & quousque.

Ad interrogationem VBI, redduntur hæc; hic, isthic, illic, ibi, alibi, ibidem, ubiq;, ubiuis, ubicunque ubiubi, ubilibet, sicubi, alicubi, nullibi, necubi, usquam, nusquam, intus, foris, inferius, superius.

Ad interrogationem QVO', respondetur, hæc; huc, isthuc, illuc, aliquò, siquò, nequò, eò, eodem, quolibet, quouis, quocunque, utroque, utrolibet, nusquam, intro, foras, sursum deorsum.

Ad interrogationem VNDE, hæc: hinc, isthinc, illinc, inde, aliunde, sicunde, necunde, ibidem, un-

delibet, undeuis, undecunq;, undique, utrinque, infernè, supernè.

Ad Quà, hæc: hac, isthac, illac, alia, aliqua, eadem, siqua, nequa, quauis, qualibet, quacunque.

Ad QVORSVM hæc: horsum, istorsum, illorsum, aliorsum, siquorsum, nequorsum, dextrorsum, sinistrorsum, læuorsum, retrorsum, introrsum, sursum, & deorsum.

Ad QVOVSQVE hæc: hucusque, isthucusque, illucusque, hactenus.

DE PRONOMINE.

GEnitiui mei, tui, sui, nostri, & uestri, passiue capiuntur: ut imago tui. I. quæ tuam reddit effigiem; & magnum me tenet desiderium tui. I. quo tu desideraris; nam cum significatur actio, possessiuis utimur, meus, tuus, suus, noster, & uester.

Quibus interdum genitiuus iungi solet; ut tuo ipsius gladio iugulas; & mea ipsius causa id fe[ci].

Genitiuo præterea sui; & possessiuo suus, sic utimur cùm redit actio eò, unde processit; ut unusquisque amat se ipsum: & pater diligit filios suos: Alioquin per genitiuos primitiuorum ille, ipse, is sermo uertendus: ut Fabium diligo ac filios eius: & si socios optatis incolumes, nunc ipsorum fortunas defendite.

DE PARTICIPIO.

Participia omnia exigunt post se casus uerborum ex quibus descendunt; illorum autem sunt duo actiuæ uocis, quorum alterum præsentis temporis in ans, uel in ens; ut amans, legens: alterum futuri in rus; ut amaturus lecturus: duo uerò passiuæ; alterum præteriti tẽporis in tus, sus, xus, & uus; ut amatus, uisus, cõplexus & mortuus; alterum futuri in dus, ut amandus legendus.

Participijs futuri temporis utimur quoties uernacule interuenit uerbum [debbe] aut quod aliud quod eandem uim habeat, post quod ponitur aliud uerbum præsentis infiniti modi, quod in participium in rus, si sermo erit actiuus; aut in dus, si passiuus; uertetur: ac loco uerbi [debbe] reponetur uerbum substantiuum sum in eodem modo ac tempore, in quo antea erat illud uerbũ [debbe] ut [tu deui far] tu es facturus [doueui o douerešti far] eras facturus [si debbe amar la uirtù] est amanda uirtus [si debbono abbracciar li studij delle bone lettere] sunt amplectẽda optimarum artium studia; cum similibus.

Omnia autem participia, (ut superius dictum) præter id futuri in rus, interdum esse participia desinunt, atq; transeunt in uim nominum adiectiuorum; ut abundans lactis; suspensus animi: & res memoranda nouis annalibus.

DE PRAEPOSITIONE.

Præpositiones, quæ deseruiunt accusatiuo, sunt: Ad, ante, aduersus, aduersum, cis, citra, circum, circa, circiter contra, erga, extra, inter intra, infra, iuxta, ob, per, propter, ponè secundum post, trans, ultra, præter, usque, secus, penes, supra, secundum.

Ablatiuo deseruientes sunt hæ; à ab, abs, abque cũ coram, clam, de, è, ex, pro, præ, palam, sine, tenus

Accusatiuo, & ablatiuo: in, sub, super, & subter.

Propositiones, quæ non nisi in compositione reperiuntur sunt, an, con, dis, di, re, se.

DE CONIVNCTIONE.

Coniunctiones compulatiuæ, & disiunctiuæ copulant similes casus; ut Caßius, & Brutus occiderunt Cæsarem; quam etiam uim ferè semper reliquæ habent coniunctiones.

DE INTERIECTIONE.

Heu pro, & ò nominatiuo, uel accusatiuo iunguntur, ut heu pietas, heu stirpem inuisam: ò tempora, ò singularem impndentiam pro Deûm atque hominum sidem: pro Iupiter,

Hei & ue datiuo; ut hei mihi, ue tibi.

DE FIGVRIS CONSTRVCTIONIS

Figura, authore Quintiliano, est aliqua arte nouata dicendi forma.

ZEVGMA.

Zeugma ergo figura (quæ latinè coniunctio) fit, cùm in pluribus dictionibus uerbum unum aut adiectiuum nomen, cum proximiori conuenit dictione, ac in reliquis subanditur: ut pater, & mater mortua est; & hic illius arma, hic currus fuit, nam sic: pater mortuus est, & mater mortua est: & hic illius arma fuerunt, & hic currus fuit.

Huius autem tres traduntur species, Hyperzeugma cum præponitur uerbum ut disco ego & tu

Mesozeugma, cum id interponitur: ut ego disco & tu,

Hypozeugma; cum id post ponitur: ut ego, & tu discis.

SYLLEPSIS.

Syllepsis (quæ latinè conceptio seu comprehensio) fit, cum diuersæ dictiones ad unum uerbum, aut adiectiuum nomen collectim sub plurali proprietate referuntur: ut pater, & mater mortui sunt; & hic illius arma, hic currus fuerunt.

Differt autē syllepsis à zeugmate, quòd in zeugmate uerbum in numero, aut adiectiuum nomen in genere ac numero, cum proximiori conuenit nomine; & necessariò in reliquis subintelligitur, in

ſillepſi uerò non ita;nec enim uerbum uiciniori reſpondet, nec numeri ſingularis eſſe poteſt, ſed omnia ab uno uerbo uel nomine in plurali numero comprehendantur.neceſſe eſt:ut ex ſuperioribus utriuſque figuræ patet exemplis.

ECLIPSIS.

Eclypſis(latinè defectio) fit,cum aliquid in oratione ex cõſuetudine omiſſum eſt, quod facilè ſubaudiri poteſt.ut M.T.Trebatio ſalutem:ſubintelligitur enim dicit,&,cùm Iuno æternum ſeruans ſub pectore uulnus;hæc ſecum.ſ. aiebat. cum ſimilibus.

PROLEPSIS.

Prolepſis(latinè præſumptio) fit cùm proprietas, quæ attributa eſt toti, rurſus in eius partibus intelligitur;ut ſcribimus incluſi, numeros ille, hic pede liber &c.& Aquilæ uolant, alia ab oriente,alia ab occidente:intelligimus.n.ille ſcribit,& hic ſcribit;& alia Aquila uolat ab oriente,alia Aquila uolat ab occidente.

ENALLAGE.

Enallage(latinè immutatio) fit,cum una pars pro alia ponitur,aut accidentia partium commutantur;ut ſcire,tuum nihil eſt,niſi te ſcire,hoc ſciat alter;pro ſcientia tua: & ſibila lambebant linguis uibrantibus ora;pro ſibilantia.
Accidentia partium commuttantur;cùm aut nume

rus ponitur pro numero;ut pars infrustra secāt; aut genus pro genere, ut Centauro uehitur magna:aut casus pro casu;ut hic tamen ille urbem Patavi,pro Patavium:aut tempus pro tempore,ut tu si hic sis,aliter sentias, pro esses & sentires:aut modus pro modo; ut nisi alium iactaret odorem,laurus erat,pro esset;cum similibus

Appositio

Appositio fit,cum duo substantiua ad rem eandem pertinentia in eodem casu ponuntur nulla interiecta coniunctione:ut Coridon ardebat Alexin dilitias domini.

Synecdoche.

Synecdoche fit cùm proprietas partis tribuitur toti,ut Aetiops albus dentes : pro habens albos dentes.& sic similia.

Cæterùm libuit ita crassiori, Minerua has figuras descripsisse: quò res imbecillis adhuc ediscentibus cognitu esset facilior.Iam uerò Antipthosin & Synthesin à Grammaticis passim inculcatas figuras,in nostra Enallage comprehendimus.

FRANCISCI BRITI LVSITANI DE PROSODIA.

LIBER III.

QVamuis Prosodia scientia sit, quæ propriè docet quo accentu quæq; syllaba proferatur; cùm ei tamen respōdeat syllaba, de cuius quantitate præcipitur; è pluriumq́; deinde syllabarum connexione conficiantur pedes quibus uniuersa constant carminum genera: iccirco totam hanc poëticam rationem sub præsodiæ nomine collocauimus. Verum quò res facilius percipiatur, inde, est unde necesse iam ordiamur.

LITERAE apud latinos sunt undeuiginti, a, b, c, d, e, f, g, i, l, m, n, o, p, q, r, s, t, u, & x, nam h. non litera est, sed aspirationis nota. K. uerò litera græca nec planè latinis uocibus immiscenda Z uerò & y solùm in Græcorum uocibus describendis à latinis receptæ.

E his autem literis sunt quinque uocales, sic dictæ, quòd per se constituant uocem a. e. i. o. u. (tametsi I, & V, interdum etiam uocalium uim amittunt) reliquæ uerò omnes consonantes

E uocalibus, quinque conflātur diphthongi, ae, oe, au, eu, ei, ut Aeneas, Phœbus, Autumedon, Eu

terpe, Orphei,

Consonantes uerò (quæ inde dictæ, quod simul cum uocalibus sonent) diuiduntur in liquidas, mutas, & duplices.

Liquidæ sunt l.r. nonnunquam etiam m.n.

Mutæ. b.c.d f.g.p.q.s.t.

Duplices sunt x. z. & i. inter duas uocales, ut Troia.

E his ergo literis fiunt syllabæ; ut ser———mo. coe——lum.

E' quibus deinde syllabis dictiones: ut sermo Cælū.

Omnis igitur syllaba aut prima, aut media, aut ultima: mediam uerò illam appello syllabam, quæcū que inter primam & ultimam est, etiamsi plures illæ sint syllabæ, ut lamentabile.

Rursus omnis aut longa, aut breuis, aut indiferens. longa notatur hoc signo - breuis, hoc; ˘ indiferentis nulla seorsum nota est, eadem enim quæ longa & breuis est, nam eò syllaba appellatur indiferens, quò in uersu & longa illa, & breuis (ita ferente natura) poni possit.

Verùm quoniam ad faciendos uersus requiruntur hæc tria; ut cognoscatur syllabarum quantitas; pedum ratio; & carminum genus; iccirco nos de his tribus suo ordine præcipiemus.

DE SYLLABIS.

Syllabæ quantitas octo modis cognosci potest

Diphthōgo, Positione, Vocali ante uocalem, Præpositione, Compositione, Deriuatione, Canone, & Exemplo.

DE DIPHTHONGO.

1 Omnis diphthongus in simplici dictione, etiam subeunte uocali, longa est; ut Aegina Aeolus.

exc. At in composita dictione, subeunte uocali, fit breuis; ut præuro præhendo.

DE POSITIONE.

can. Vocalis natura breuis, fit longa positione; cùm eam duæ subsequuntur consonantes, quarum aut utraq; in eadem est dictione, ut tempus; aut saltem altera, ut at regina &c.

Appendix.

Eandem etiam uim protrahēdi uocalem habet quælibet consonans è tribus duplicibus; ut rex, gàza, maior.

At si duarum consonantium prima sit muta, secunda liquida; tum uocalis natura breuis, in oratione soluta erit semper breuis; in uersu autem indiferens; ut farĕtra farētra: tenĕbræ tenēbræ.

Si uerò ea erit natura longa, utrobiq; erit longa; ut lauācrum salūbris.

DE VOCALI ANTE VOCALEM.

can. Vocalis ante uocalem posita, breuis est in latinis dictionibus; ut pĭus Dĕus.

exc. 1 Verbum tamen fio eam producit in his tempori

bus, in quibus literam [r] non suscipit; ut fio, fiā. nam subeunte [r] eandem corripit, ut fierem fieri

exc. 2. Genitiui præterea & datiui nominum quintæ declinationis [e] inter duas uocales producūt; ut diei, exceptis tamen his tribus spei, rei, & fidei, quæ breuiant.

exc. 3. Excipiuntur item genitiui pronominum, exeuntes in ius, & nominum eandem pronominum declinationem sequentium, in quibus i ante us, cōmunis est: ut illius, unius. producitur è his tamē semper genitiuus aliūs, corripit semper alterius

exc. 4. Deniq; genitiui illi antiqui Aulai amimai, pro aulæ, animæ [a] producunt.

Append.

At græca nomina uariant; quædam enim uocalem ante uocalem protrahūt, cuius generis sunt Aenēas Lāertes, Thyas, Lāodomīa, Clīo, Thalīa, Chorēa, āer brauīum Alexādrīa, Cæsarēa; sic Aōnides, Pierides, Dīus dia dium (nam Darius & Diana uariant) quædam uerò corripiunt; ut sophia Symphonia, sic Comœdia Tragedia cum aliis de quibus certus canon tradi non potest.

DE PRAEPOSITIONE.

can. E', dè, præ, se, di, & pro latinæ præpositiones tam in appositione, quàm in compositione (nulla modo subeunte uocali) producuntur: ut Eligo, defero, præparo, seligo, diligo, & prorepo.

exc. 1. Dirimo tamen, & disertus cum [Di] composita,

corripiunt.

exc. 2. Hæc uerò composita cum[pro] præpositionem breuiant, profano, profanus, profari, profectus profectò, proficiscor, profugio, profugus, profundus, prohibeo, pronepos, proneptis, propero, proteruus.

exc. 3. Hæc habent communem; prologus procuro, pro fundo, propino, propello, propago, uerbum, nam propago nomen pro uite producitur, pro progenie breuiatur.

Re.

can. Re, præpositio in compositione semper est breuis; ut reficio, reparo.

exc. 1. Refert tamen, pro interest, uel res fert, producit.

exc. 2. Reiicio ubi alterum i. metri causa expungit [re] breuiat; ut reicit, pro reiicit; alioquin positione producit: quod item est intelligendum de reliquis quæ componuntur ab eodem iacio.

Appendix.

Re, præterea nonnullis in dictionibus, quæ in oratione suluta simplici litera scribi solent, additione literæ à poëtis producitur; qualia sunt rettulit, reppulit, relligio, relliquiæ, & eiusmodi.

Obser.

At Reliquæ omnes præpositiones, si in duplicem consonantem illæ desinant, (ut iam ex superioribus patet) dicentur longæ positione; ut perdo postpono: si uerò in uocalem, aut in simplicem consonã;

erũt breues;ut amitto,anteuerto,abeo,subeo,& sic reliquæ.

DE COMPOSITIONE.

can. Dictiones compositæ,suarum simplicium quantitatem seruant,uocali etiam uel diphthongo in aliam literam commutata;ut lego perlego:facio reficio lædo illido,cum similibus.

exc. Hæc tamen excipe,quæ à longis orta corripiunt; innũba pro nũba à nũbo, (tametsi cõnubium hẽt ancipitẽ)deiero,peiero à iũro;cognitus agnitus à nõtũ:infio suffio à fio:maledicus causidicus fatidicus à dico:semisopitus à sõpio : nihilum à ni & hilum;conuicium,à uicio.

Appendix.

At dictiones compositæ quibus prior compositionis pars in I,uel O,desinit;illud,i,uel,o, correptum obtinent:ut semisepultus, Christophorus.

E' quarum numero auferuntur tamen quotidie & quotidianus quæ uariant;tum ibĩdem , tibĩcen, ubĩq;,ĩdem,quĩdam,plerĩq; , quantĩcunq; quandõq; & merĩdies,quæ producunt.

Ast si ultima prioris dictionis compositæ litera erit e;tum illa communis erit;ut liquefacio madefacio excipe tamen equidem huiuscemodi , & cuiuscemodi in quibus semper [e]breuis.

DE DIRIVATIONE.

can. Diriuata dictio suæ primariæ quãtitatem seruat; ut amor priorem obtinet breuẽ,quia ducitur ab

anno cuius prima corripitur;& sic legebam, legam,legere,legens,priorem corripit,quia deducta à lego,cuius est prima correpta:

Sunt tamen nonnulla ex his quæ degenerant ; cum aut deriuata à simplici breui producant, ut à rĕgo Rēx:aut ab eadem longa deducta,corripiant; ut à sōpio sŏpor; eius generis sunt quæ sequuntur.

Hæc à breuibus producunt.

exc. 1. Regula,tegula,sedes,laterna,nitella,uomer,uires,remus,remex,remigo,remigium,feriæ, feralis,& feronia,uena,rapum, quæ omnia à cognatis uerbis deducuntur:tū hæc quæ à nominibus: humor & humanus iocundus,uitupero , nequā pedor,iugenum,macero,secius,sicelis,totus,stipendium,ambitus à supino ambĭtum statūrus à stătum.

Hæc à longis breuiant.

exc. 2. Sopor,lucerna,dicax:arundo , arista arena , fides,stabulum & stabilis,manus,uadum, repens uitium,lituus Appŭlus .

Obseruatio.

Sunt & alia plura deriuata uerba , quæ suæ originis quantitatem non seruant, uerùm ea non huius loci : nec enim hic nisi de his deriuatis agimus,quæ suæ primariæ dictionis consonantem retinent;nam quæ illam in aliam mutant, non iā ex hoc canone;sed ex communibus primæ,mediæ ke syllabæ,aut certè positionis cognosces regu-

lis: eius generis sunt à fŏueo, fŏmes & fŏmentū: à Iŭuenis, iŭnior à dĕcem, dēnus: à cădo cāsus; à rĕgo rēx; à dŭco dūx; & sic alia.

DE CANONE.

Canone quantitas tripliciter cognoscitur, præterito, supino, & incremento. ac primo.

De præterito.

can. *Omne duarum syllabarum præteritum (non præcedente tamē ante uocalem uocali) priorem protrahit; ut uidi, uici.*

exc. *Excipiuntur hæc sex, quæ breuiant bibi, dedi, fidi, scidi, steti, & tuli cum compositis.*

can. *Præteritum finiens in ui, penultimam protrahit ut petiui quieui.*

can. *Præterita geminata utramq; corripiunt, ut pepuli tetigi.*

exc. *Excipe pepedi à pedo, & cæcidi à cædo; tum ea, in quibus duplex subsequitur consonans; ut spopondi, cucurri quæ producunt penultimam.*

De Supino.

can. *Supinum bisyllabum priorem protrahit; ut notū motum.*

exc. *Hæc tamen eandem corripiunt; datum, satum, ratum, rutum, itum, quitum, situm, litum, citum à cieo secundæ, nam à cio quartæ producit.*

Append.

Cum composita à do tam quæ in itum quàm quæ in atum, breuient; ut perditum, uenundatum; à

supino tamen datum, quod uariat, quæ componũtur (modò exeant in atum) protrahunt; ut constãtum: nam quæ in itum, breuiant; ut præstitum.

can. Plurium syllabarum supinum in tum, natũ e præterito ui, penultimam habet productam: ut petitum expletum. quibus addito etiam deponentia ea, quorum si uox esset actiua, in ui futurum esset præteritum; ut potĩtum, oblitum cum similibus.

can. Supinum in itum à preterito in ui diuisas, penultimam breuiat; ut gemui gemitum.

DE INCREMENTO NOMINIS in singulari.

Crementum id appellatur in nomine, quod in flectione, syllabarum numero superat nominatiuum; ut puluis pulueris.

Primæ igitur declinationis nominum in singulari, idcirco nullum incrementum est, quòd in quolibet casu idem syllabarum numerus est.

Sec. Decl.

can Secundæ declinationis incrementum breue est; ut uĭri, genĕri, producit tamen iber cum composito celtiber, bēri.

Tert. decl.

can. Tertiæ declinationis finita in a, crementum breuiant; ut themătis. O

can. In O quæ exeunt in onis, & enis, protrahunt; ut sermōnis. Neriēnis; quæ uerò in inis, breuiant; ut cardĭnis.

C. D.

can. In C. & D. producunt; ut Halēcis Dauīdis: corripit tamen unum Bogŭdis.

Al, El, Ol, An, In, & On.

can. In Al, El, Ol, An, In, & On, per omega, producunt; ut animālis Michaēlis, sōlis, pæānis, Delphīnis, Babilōnis.

exc. 1 Excipies masculina in al, quæ breuiant, ut sălis Anibălis.

exc. 2. Tum in on, quæ scribuntur per omicron, ut canŏnis, sic dæmŏnis gorgŏnis cum similibus.

Il, Vl, En.

can. Finita, in Il, Vl, En, breuiant; ut uigĭlis, consŭlis, numinis.

exc. E' nominibus in En, excipiuntur tamen hæc tria, rēnis, splēnis, & sirēnis quæ producunt.

Ar, Or.

can. In Ar, & Or crementum protrahunt; ut calcāris pudōris.

exc. 1 Deme tamen propria in ar, ut Cæsăris Halmicăris: tum hæc Arar, baccar, iubar, nectar, & par păris cum compositis, quæ breuiant.

exc. 2. Ab his, quæ in Or, excipe Græca ut Castŏris, Rhetŏris; tum è latinis, hæc; arbor, æquor, marmor, memor, compositaq; à corpore ut tricorpor, quæ omnia corripiunt.

Er, Ir, Vr.

can. In Er, Ir, & Vr, breuiant; ut uomĕris, martyris, murmŭris: è his tamen quæ in ur, producit tantùm fur.

exc. *At ab his quæ in er, producit uer ueris, tum Græca, ut clystēris caractēris tametsi æther & aer corripiant.*

As Os.

can. *In As, & Os, producunt; ut ætātis, custōdis.*

exc. 1. *Excipiuntur tamen ab as, hæc tria; anătis, uădis à uas, & măris à mas; tum Græca in adis; ut lampas lampădis quæ corripiunt.*

exc. 2. *Ab Os item tria; bos, compos, impos, quæ item breuiant.*

Ex, Is, Vs,

Can. *In Es, Is, & Vs, breuiant; ut limĭtis, sanguĭnis funĕris.*

exc. 1. *Ab Es, excipe hæc producentia; hærēdis, locuplēti, magnētis mercēdis, & quiētis: Tum græca in etis, ut tapēs tapētis, & sic lebētis.*

exc. 2. *A finitis in Is, excipito glis glīis, Tum nomina quorum genitiuus exit in itis, ut dis ditis sic lis litis, quibus addito Græca ea, quorum item genititus exit in inis ut salamin, uel salamis salaminis quæ producunt.*

exc. 3. *Ab Vs, excipiuntur habentia genitiuum in utis, uris, udis, (exceptis tamen duobus, intercŭtis & pecŭdis) quæ producunt; ut uirtūtis tellūris, palūdis.*

exc. 4. *Omnia denique comparatiua in or, & us, ut melior & melius meliōris quæ producunt.*

.S.

can. *Excuntia in duplicem consonantem, crementum breuiant*

breuiant; ut inops inŏpis.

exc. Producunt tamen quatuor; cyclops, hydrops, plebs, & ſeps sēpis.

.T.

Can. Finitum in T, habens crementum, ſolùm eſt caput cum duobus compoſitis ſinciput & occiput quæ breuiant.

Ax, ix, uel yx. & ox.

Can. In Ax, Ix, uel Yx. & Ox, crementum protrahūt; ut pācis, perdīcis, bombycis, uōcis.

exc. 1. Ab Ax, excipe fax făcis: tum Græca quædam rarò occurrentia, quæ breuiant.

exc. 2. Ab Ix excipe hæc item corripientia; appēdix, calix, cilix, fornix, larix, nix, pix, Tum hæc quæ per y, Eryx, Phryx, ſtyx, & Bebryx cum paucis alijs, quæ item rarò occurrunt.

exc. 3. Ab Os, hæc tria, Alobrox, Cappadox, & præcox, præcŏcis.

Ex, Vx.

can. In Ex, & Vx, breuiant; ut remex, ĭgis, dux dŭcis

exc. 1. Ab Ex tamen excipiuntur hæc producentia; ueruex, myrmex, halex, lex, Rex, & uibex.

exc. 2. Ab Vx, item hæc tria; lūcis, frūgis, & Pollūcis, quæ item producunt.

DE CREMENTO PLVRALI.

can. Incrementum plurale nominum (idem intellige de pronominum participiorumq; cremento) qđ fit per A, O, & E, longum eſt; ut horārum annō-

rum, diērum.

Quod autem per I & V; breue, ut mensĭbus nerŭbus.

DE VERBI INCREMENTO.

Incrementum in uerbo id est; quod secundam personam superat singularem præsentis temporis indicantis modi.

Verùm quoniam ultima syllaba eiusdem personæ ac temporis (in qua item primum crementum est) syllaba superatur una & pluribus; iccirco duplex crementum à Grammaticis constitutum est: prim, ùcum illi personæ unica additur tātùm syllaba; ut amas amabas; secundum, cùm adduntur plures; ut amabāmus, amauerāmus.

A, crementum.

can. *A producitur in omni cremento, ut amabāmus, docebāmus, legebāmus, audiebāmus.*

exc. *Excipito tamen do das cum tribus compositis quæ simplicis sequuntur primam, in quibus primum crementum corripitur, ut dăbam, circundăbam. nam crementum secundum per, a, in iisdē producitur, ut circundăbāmus, pessundăuerāmus.*

E, ctementum.

can. *E producitur in omni cremento non subsequente litera r, ut amēmus, docēmus, legēmus, audiēmus.*

exc. 1. *At subeunte r, in omni præsenti tempore utri-*

usque notis uerborum tertiæ coniugationis, nec non in præterito imperfecto subiungentis modi [e] in primo cremento corripitur; ut legĕrem legĕre, & passiua uoce legor legĕris, uel legĕre. imp. legĕre: sub. legĕrer. at in secundo cremento longum est, ut legĕrēre.

exc. 2. *E, præterea ante ram, rim, ro in omni uerbo ac coniugatione corripitur; ut amauĕram, amauĕrim, amauĕro, & sic in reliquis:*

Obseruatur id etiam in uerbis anomalis, ut ĕram ĕro, fuĕram, edĕram, tulĕro, &c.

exc. 3. *Deniq; beris uel bere corripitur, ut amabĕris uel amabere, sic docebĕris, uel docebere & similia.*

Crementum .I.

can. *I, in uerborum cremento breuiatur; ut ludĭmus, amauĭmus, adde etiam erĭmus.*

exc. 1. *I, tamen in primo cremento solùm (nam in secundo corripitur) uerborum quartæ coniugationis, producitur; ut audīmus, audīre.*

Excipe tamē eiusdem coniugationis præterita, quæ non exeunt in ui, in quibus primum crementum corripitur; ut uenĭmus, sensĭmus.

Nam quæ in iui prætereunt, siue illa sint quartæ, siue tertiæ, producunt; ut audīui petīui.

exc. 2. *Producunt hæc etiam i, uelīmus uelītis. nolīto, nolītote, nolīmus nolītis, & sīmus sītis.*

O.

can. *O in omni cremento producitur; ut nolitōte.*

V.

V. breuiatur, ut sūmus, uolūmus.

DE EXEMPLO.

Cùm ea præcepta, quæcunque in artem tam oratoriam, quàm poëticam redacta sunt, ex probatissimorum quorumq; authorum usu ac ratione dicendi notata collectaq; sint: necesse est, ut ii, qui sunt mansuetioribus musis delectandi, his præceptorum delibatis riuulis, illico (ut fit itē in re oratoria) consectentur fontes rerum: ut & latius ibi uideant, unde hæc profecta sunt; & quod canone minus perceperint, id poëtarum principium authoritate cōfirment. nulla etenim certior uia; nulla præstantior quantitatis ediscēdæ ratio, adde nihil aut parum quēquam in huiusmodi facultate prodesse posse, nisi multùm ac diu poëtas ille peruolutarit.

Verùm quoniā difficilia quæq; humilioribus principijs prætexta sunt, nec enim arduas res possumus, nisi sensim & lento, quod aiunt, gradu percipere & obtinere; iccirco in eorum gratiā qui in poetica lectione adhuc ita uersati non sunt, ut syllabæ cuiusq; quantitatem celebris poetæ exēplo comprobent; aliorum nos, hac in re, sequuti sententiam, de primis mediisq́; syllabis hæc subsequentia, commentitiis uocibus, præcepta subiecimus.

DE PRIMIS SYLLABIS.

Obſeruatio.

Vocales omnes quæ his fictis uocibus continentur, ante eas consonantes, quibus ſunt præpoſitæ, producuntur: ante reliquas uero omnes breuiabuntur. V. tamẽ uocalis in uoce [Vbulup] tam in primis, quàm mediis ſyllabis ante eas tres consonantes corripitur, cum producatur ante reliquas.

Alamanas.

A ante l, m, n, s, ſed in diſsyllabis tantum: ut āles, rāmus, plānus, nāſus.

E neſteu.

E ante n, s, t, & u, conſonantem, ut plēnus thēſeus, crēta, lēuis pro plano & terſo, nam pro leui notæ ſignificationis, corripitur.

E del.

E etiam ante d, & l, in diſsyllabis tantum, ut rhēda chēla.

I dilinisiu.

I ante d, l, n, s, & u, conſonantem: ut Ida pīleus, līnum, uīſus, līuor.

Imir.

At i ante m, & r, in dyſsillabis, ut līmus, mīrus.

O bogomoſo.

O, ante b, g, m, & s, ut rōbur, cōgo, uōmer, prōſa.

Odo,

At o ante d, in dißyllabis ; ut cōdex, rōdo.

V bulup.

V ante omnes cōsonantes producitur præterquàm quod ante b, l, & p, ante quas corripitur ; ut cŭbo, cŭlex, lŭpus.

DE MEDIIS.

A gau.

A ante g, & u, consonantem in mediis syllabis ; ut imāgo, cadāuer.

Ecedelemeneteu.

E ante c, d, l, m, n, t, & u consonantē ; ut imbēcillus, Diomēdes, Philomēla, erēmus, Antēnor, morētum, parascēue.

I qui.

I ante q, & u, consonantem ; ut antīquus, salīua.

Omonosoto.

O ante m, n, s, & t ; ut amōmum, corōna, metamorphōsis, ægrōtus.

V bulup.

V, item in mediis syllabis, ante omnes consonantes producitur, exceptis b, l, p, ante quas corripitur ; ut colŭber, anŭlus, quadrŭpes.

Obseruatio.

Patiuntur tamen exceptiones hæ regulæ, uerùm eas nos è poetarum lectione cognoscendas omittimus : nec enim ingenium puerile censemus infinita præceptorum multitudine obtundendum

cum præsertim nihil aut sane parum (ut iam dictum) in tota hac facultate effici poßit, quominus quispiam iterum & sæpius peruolutarit lectitaritq; poetas.

DE VLTIMIS SYLLABIS.

A.I.V.

can. A.I. & V in fine dictionis producitur; ut amā, suprā, annī, legī, uerū, diū,

exc. 1. Cùm eo canone in A, producant numerantia in ginta, ut trigintā, quadragintā; tum uocatiui in a à Græcis in as, ut ò Aeneā ò Pallā; corripiunt tamen, his exceptis, cæteri omnes nominatiui, accusatiui, & uocatiui in a; ut musă, templă, ò Mineruă.

Huc addito eiă, ită, quiă, & put ă, quæ item breuiāt.

exc. 2. A' finitis uerò in I, excipe mihi, tibi, sibi, ubi, & ibi, quæ I. habent communem: tum datiuos & uocatiuos in I, à nominibus Græcis, ut Palladi, ò Amarili, quæ breuem: his addito nisi & quasi aduerbia.

E.

can. E in fine breuis est ut marĕ, legerĕ.

exc. 1, At producit secundæ coniugationis modus imperans, sed in singulari tantùm; ut docē, cauē, (à caueo tamen secundæ, nam à cauo tertiæ, breuiat, quod idem intellige de uerbo ualeo) protrahunt item quintæ declinationis ablatiui; ut diē, rē, famē à fames, quod olim erat quintæ, tū quarē, hodiē, pridiē, postridiē, quæ à re & die fiunt.

exc. 2. Aduerbia præterea quæ à secundæ declinationis oriuntur nominibus, his adde ferē, ac formē, ut doctē doctißimē. excipe tamen benĕ, & malĕ quæ breuiant.

3 Huc pertinent etiam monosyllaba in e, ut nē prohibentis, mē, tē, sē, cum cæteris, exceptis tamen his tribus q; nĕ, uĕ, cum sunt enclitica.

4 Casus deniq; omnes Græci in [e] ad primam latinorum nominum declinationem relati, ut Penelopē, à Penelopē: Tum uocatiui & ablatiui eorum nominum, quæ finita in es longum, referuntur ad primam & tertiam; ut ab Abchisē ò Vlißē, quæ producunt.

O

Can. O in fine communis est; ut lego, sermo, cantando.

exc. Producunt; tamen semper datiui & ablatiui; ut annō a dominō: quibus adde, ergō pro causa: Græca item nomina finita in o magnum, ut Clio Sapphō: monosyllaba præterea, ut stō dō: At dicŏ sciŏ, cum compositis, tum ambŏ, duŏ, & aduerbia citŏ, illicŏ, modŏ, quomodŏ semper corripiunt.

As, Es, Os.

Can. As, Es, Os. ultimæ syllabæ producuntur; ut tempestās, prolēs. annōs.

exc. 1. Ab As, excipe Græca quædam, quorum exit genitiuus in ados, uel adis; ut Pallăs lampăs: tum accusatiuos tertiæ declinationis in as. ut Troăs, Heroăs, quæ breuiant.

exc. 2. Ab es, excipe tertiæ declinationis nomina, quorum genitiuus exit in itis uel idis, ut milĕs militis, præsĕs præsidis: quibus addito etiam segĕs: tum præpositionem penĕs & substantiuum uerbum ĕs, cum compositis, ut abĕs, potĕs: Græca deniq; neutra in es, ut Hippomanĕs, cacoetĕs: adde plurales Græcorum item nominatiuos in es, ut Naiadĕs Arcadĕs, quæ omnia breuiant.

exc. 3. Ab os, excipe hæc item corripientia; ŏs oßis compos impos, tum quæ Græca scribuntur per ŏ paruum, ut Chaŏs, Iliŏs: huc adde Græcos genitiuos in os, ut Arcadŏs Palladŏs.

Is, Vs.

Can. Is et Vs, ultimæ breuiant; ut legĭs, panĭs: domŭs, sumŭs.

exc. 1. Ab Is excipiuntur primò producentia crementum in genitiuo; ut glis glīris, dis, dītis; tum datiui, ablatiui, & accusatiui in is eorum quæ casibus declinātur, ut annīs, meīs, amatīs, queis omnēs uel omnīs. Præterea uīs tam nomen, quam uerbum: ac item finita in Is, quæ à Græcis scribuntur diphthongo, ut Simoīs Pyroīs: Denique uelīs, nolīs, malīs, & sīs à sum, cum compositis, ut adsīs poßīs, quibus addito quanuīs & bīs: tum secundæ personæ singulares indicantis modis uerborum quartæ; ut scīs, audīs: nec non secundæ singulares subiungentis in omni coniugatione; ut amauerīs, docuerīs, le-

Anapæstus, duabus breuibus, & ultima longa; ut lacrymæ ——————— vv-

Bacchius, prima breui, duabus longis; ut dolores v--

Antibacchius,, duabus longis, ultima breui; ut Antenor ——————— --v

Amphimacrus, qui idẽ Creticus, prima & ultima longa, media breui; ut uirgines. -v-

Amphibrachus, prima et ultima breui, media longa, ut puella. ——————— v-v

Tetrasyllabi sexdeci m.

Dispõdeus, constans duobus spondeis, ut oratores -- --

Procelusmaticus, duobus pyrrhichiis; ut repetere vv vv

Choriambus choreo & iambo; ut eruerint -vv-

Antipastus, iambo & trochæo; reclamare v-- -v

Dichoreus, seu Ditrochæus constans duobus choreis siue trochæis: ut comprobauit. -v -v

Diiambus, duobus iambis; ut amœnitas v-v-

Ionicus maior spondeo & Pyrrhichio; ut perterritus ——————— --vv

Ionicus minor pyrrhichio, & spondeo; ut resonabant ——————— vv--

Pæan primus, Trochæo & pyrrhichio; ut præcipitat ——————— -vvv

Pæon secundus, iambo & pyrrhichio; ut potẽtia v-vv

Pæon tertius, pyrrhichio & trochæo; ut suadebat vv-v

Pæan quartus, pyrrhichio, & iambo; ut celeritas vvv-

Epitritus primus, iambo & spõdeo; ut sacerdotes v---

Epitrimus 2. chorœo & spondeo; ut factiones -v--

Epitritus 3. spondeo & iambo; ut concordiæ --v-

Epitritus 4. spondeo, & Trochæo; ut mutauistis ---v

DE VERSIBVS.

Versus, definitur plurimum pedum, numero modoque finita coniunctio.

Verùm, ut nunc uarias omnium uersuum appellationes omittamus, patet enim è uersibus alios dici ab authoribus; ut Asclepiadeum: alios à materia, ut Heroicum: alios à numero pedum, ut Hexametrum: alios, à syllabarum numero, ut endecasyllabum; Rursus, aut à defectione syllabæ unius in fine alios appellari catalecticos: aut à defectione duarum, Brachycatalecticos: aut à syllabæ unius, pluriumúe syllabarum redundantia, Hypercataleticos, seu Hypermetros: aut à sufficientia, cùm nempe nec deest quicquam nec superest, Acatalecticos: uerùm ut hæc præteruolemus, illud in primis tenendū.

Carmen aut unico constare genere uersus, ut Virgilij opera, uocariq; Monocolon: aut duplici genere, ut sunt sapphicis permisti adonici uersus, diciq; Dicolon: aut sanè triplici, ut apud Horatium pleraq;, appellariq; tricolon.

Rursus aut esse dicolō distrophon, hoc est cùm duo carminum genera ita disposita sunt, ut alterni uersus similes sint, quod genus est elegiacum carmen, constans exametro & pentametro.

Aut esse dicolon tristrophon (quod item carminis genus apud poetas admodum infrequens est; cū

numerus potius, quàm metrum illud sit) hoc est, cum duos primos eiusdem generis uersus, subsequitur tertius alterius generis, ac deinde fit ad primum conuersio. quale hoc Horatianum est.

Miserarum est neq; amori dare ludum
Neq; dulci mala uino lauere aut ex-
animari, metuentes patruæ uerbera linguæ.

Aut esse dicolon tetrastrophon. i. cum in uno poemate, è quatuor uersibus, semper tres primi unius atq; eiusdem generis sunt, quartum autem est alterius generis, post quos quatuor, reditur ad primum: atq; hoc carminis genere continentur sapphica cum Adonicis.

Aut esse Tricolon tetrastrophon, hoc est cùm post quatuor uersus trium generum, ad primum redimus genus; cuius generis est.

O nauis referente in mare te noui
fluctus ò quid agis? fortiter occupa
portum; non ne uides ut,
nudum remigio latus
& malo celeri saucius Africo. &c.

Cæterum carminum genera plura sunt, ut Exametrum (quod item appellatur hæroicum; eo quòd illo res describantur hæroum, hoc est regũ & ducum, ut docet Horatius) quod constat sex pedibus, ut patet ex ipso nomine; quorum primi quatuor, ut libebit magis, dactyli esse pos-

sunt, seu spondei, seu permixti; quintus semper erit dactylus, sextus uerò spondeus. ut

Arma uirumq; cano, Troiæ qui primus ab oris.

– ∪∪ – ∪∪ – – – – – ∪∪ – –

Append.

Solet tamen à poetis interdum in quinta sede pro dactylo poni spondæus; ut est illud Virgilianũ.

Chara Deum soboles magnum Iouis incrementum.

Cæterùm in exameno plures dactyli, uenustiorem uersum reddunt; ut ite domum saturæ uenit Hesperus ite capellæ; & Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum. Verum in eo rei subiectæ habenda ratio; quæ si grauior, tardiorem poscet orationem, ut est, Authorem frugum tempestatumq; potentem.

PENTAMETRVM.

PEntametrum (quod cum exametro uersu coniunctum, elegiacum carmen dicitur, hoc est moestum ut pote quo describantut res tristes, & luctuosæ) quinque habet pedes, ut etiam pater ex nomine; eorum duo primi dactyli, uel spondei uel permixti esse possunt; eos sequitur cæsura, hoc est, syllaba longa in medio uersu terminans dictionem; post sequuntur reliqui duo pedes semper dactyli, & super est syllaba ut.

Lapsaq; sub terras, ortaq; signa canã.
-vv--syl.-vv-vv.syl.
Quo carminis, genere continentur fermè omnia Ouidiana.

SAPHICVM.

Saphicum pentametrum endecasyllabum (quod à puella sappho eius inuentrice sic dictum est) constat Trochæo, spondeo, dactylo & duobus trochæis: ut

Iam satis terræ niuis atq; diræ-v---vv-v-v.

obs. Verum tum redditur id carminis genus uenustius, cùm tres uersus eiusdem generis, uersiculus Adonius subsequitur; ut Terruit urbem:

Adonium autem carmen (quod sic à puero Adone repertore nuncupatum est) constat ultimis duobus pedibus uersus Heroici, nempe dactylo & spondeo; ut in proximo exemplo uisum est.

ASCLEPIADEVM.

Asclepiadeum (sic appellatum ab Asclepiade authore) constat spondeo, dactylo & cæsura; deinde duobus spondeis: quale est.

Mecœnas atauis edite regibus.---vv syl. -vv-vv

Id tamen etiã sic metiuntur nonnulli ---vv--vv-vv: ut constet spondeo, duobus choriambis, & pyrrhichio; uerum superior metiendi ratio, præsertim tyronibus, sane facilior.

obs. Sat autẽ peruenustè ex hoc carminis genere solo confi-

conficitur Ode; ut est illa apud Horatium prima, Mecoenas atauis &c. nonnunquam autem id & aliis immiſcetur; ut uidere eſt apud eundem authorem, & ut mox etiam uidebimus.

Alcaicum.

Alcaicum, uel Alcmanium acatalecticum, conſtat duobus Iambis, uel ſpondeo & iambo, cæſura, & duobus dactylis, ut

Vides ut alta ſtet niue candidum.

At huic uerſui geminato ſi addideris Archilochium Hypercatalecticum in tertio uerſu, tum in quarto Pindaricum effeceris tricolon tetraſtrophon genus carminis peruenuſtum, ut eſt

Vides ut alta ſtet niuecandidum
Soracte: nec iam ſuſtineant onus.
∪– ∪– ſyl.–∪∪ –∪∪
Syluæ laborantes geluq; —— Arch.–– ∪– –– ∪– ∪
Flumina cōſtiterint acuto —— Alcm– ∪∪ –∪∪ –∪ –∪

Archilochium.

Cæterùm Archilochium dimetrum iambicum hypercatalecticum (quod item ſic, ab Archilocho inuentore) conſtat primo & tertio pede iambo uel ſane ſpondeo, at ſecundo, & quarto ſemper iambo & ſupereſt ſyllaba, ut ibi

Syluæ laborantes geluſq;.

Pindaricum.

Pindaricum autem carmen ſeu Aclmanium dime-

teum acatalecticum constat duobus dactylis et duobus trochæis; ut superius, Flumina constiterint acuto.

GLYCONIVM.

Glyconium constat spondæo & duobus dactylis: ut

Sic te diua potens Cypri -- -υυ -υυ

obs. At hoc genus carminis cum Asclepiadeo cõiunctum, de quo supra, dicolon distrophon efficit sane perpulchrum; quale est.

Sic te diua potens Cypri. ——Glic. -- -υυ -υυ.
Sic fratres Hælenæ lucida sydera, ——Ascl.-- -υυ
syl.-υυ -υυ.
Ventorumq; regat pater
Obstrictis aliis præter Iapiga &c.

THERECRATIVM.

Therecratium trimetrum Acatalecticum constat spondæo, Dactylo, & rursus spondæo ut Hor. 1. Odes 5.

Grato Pyrrha sub antro. -- -VV --

Verùm si hic uersus postponatur gemino Asclepiadeo & subsequatur Glyconicus (de quo supra) conflabitur trocolos testrastrophos, genus carminis bene pulchrum; quale est Horatii illud, citato loco.

Ascl. { Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urget odoribus,

Pher.——— grato Pyrrha sub antro

Glyc.——— Cui flauam religas comam &c.

Postpositus idem tribus Asclepiadeis, efficit item dicolon tetrastrophon, ut Hor. 1. Ode, 6.

Scriberis Vario fortis & hostium
Victor Mæonij carminis alite,
Quam rem cunq; ferox nauibus, aut equis
Miles te duce gesserit.

Archilochium Acatalecticum.

Archilochium Heptametrum Acatalecticum, constat primò quatuor pedibus uersus Heroici (ita tamen ut cùm primorum trium detur optio; quartus tamen semper, instar Bucolici uersus, pes necessariò futurus sit Dactylus) deinde uerò tribus Trochæis, etiam si & spondæus ultimus esse poßit: quale Hor. 1. Ode. 4.

Soluitur acris hyems grata uice ueris & Fauoni.

Verùm adhibito huic uersui, carmine altero Archilochio trimetro catalectico, efficitur dicolos distrophos elegans ut est loco citato.

Soluitur acris hyems grata uice ueris & Fauoni
Trahuntq; siccas machinæ carinas.

-uu -uu -- -uu -u -u --
u- u- syl. -u -u --

Archilochius autem uersus trimeter catalecticus, constat penthemimeri Iambica, hoceſt, duobus iambis & ſyllaba (tametſi pes primus eſſe poteſt & ſpondæus) deinde è tribus Choræis: ut trahunq; ſiccas machinæ carinas.

Phaliſcum.

Phaliſcum carmen, uel Alcmanium, uel Archilochium tetrametrum catalecticum, conſtat ex quatuor ultimis pedibus uerſus Heroici, ut Hor. 1. Ode 7.

Aut Epheſum bimaríſue Corinthi. -vv-vv-vv—

Conflatur autem ex uerſu Hexametro, & hoc Archilochio, dicolos diſtrophos: ut loco citato,

Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Epheſum, bimaríſue Corinthi
&c.

Ariſtophanæum.

Ariſtophanæum carmen, uel ut alij, Anacreontium conſtat Choriambo & Bacchio: ut Hor. 1. Ode, 8.

Lydia dic per omnes.

At Alchaicum tetrametrum Acatalecticum, ſuperiori coniunctum, conflat dicolon diſtrophon ſane perbellum: ut citato loco.

Lydia dic per omneis -vv- v--
Te Deos oro, Sybarim cur properes amando,
-v-- -vv- -v-- v--

Constat porrò Alchaicum, Epitrito secundo, duobus Choriambis, & Bacchio; ut in superiori exemplo [te Deos oro] uisum est.

Alcaicum pentametrum.

Alcaicus uersus pentameter Acatalecticus, constat spondæo, tribus Choriambis, & Pyrrhichio, uel Iambo; semperq; ab Horatio ponitur monocolos, ut Ode 11, lib. 1.

Tu ne quæsieris scire, nefas, quẽ mihi, quẽ tibi
-- -vv- -vv- -vv- vv

Archilochium dimetrum.

Archilochium dimetrum acatalecticum, constat Amphimacro & duobus Iambis, uel ultimo Pyrrhichio; quale est Hor. 2. Ode. 18.

Non ebur neq; aureum.

Ex hoc coniuncto cum Archilochio altero, siue Hipponactæo, conficitur dicolos distrophos; ut loco citato.

Non ebur, neq; aureum -v- v- vv
Mea renidet in domo lacunar: v- v- v- v- v- *syl.*

Constat uerò Hipponactæum quinq; Iambis, & syllaba, ut in superiori exemplo uisum est.

Sapphicum trimetrum.

Sapphicum trimetrum acatalecticum constat è tribus Ionicis à minore quale est Hor. 3. Ode 12
Miserarũ ẽ neq; amori dare ludũ vv-- vv-- vv--

Atq; id geminatum subsequi solet Alcmanium tetrametrum, appellaturq́; carmen illud Sotadicum; ut ibi vv-- vv-- vv--

Miserarum est neq; amori dare ludum,
Neq; dulci mala uino lauere, aut exanimari metuenteis patruæ uerbera linguæ.
vv-- vv-- vv-- vv--

Constat porrò Alcmanium tetrametrum è quatuor Ionicis à minori, ut in tertio uersu [animari] uisum est.

Scazon

Scazon, uel trimetrum iambicum Hipponactæum quinq; Iambis constat, & sexto spondæo: admittit item spondæum locis imparibus, huius generis est illud Persii.

Nec fonte labra prolui cabalino:
-- v- v- v- v- --

Sunt & etiam plura alia carminum genera; uerùm nos his contenti simus, quæ & præstantiora sunt & probatißimis quibusq; poetis usitatiora. Addito etiam quæcunq; sunt apud Horatium in libris carminum; illa sub his generibus, quæ à nobis hic aßignata sunt, comprehendi ac contineri.

DE FIGVRIS.

1 Quoties dictio desinit in uocalem, & subsequens incipit à uocali; ultima illa, prioris di-

ctionis, uocalis in metiendo uersu colliditur, diciturq; figura synalœphe ut.

Semper ego auditor tantum nunq̃ ne reponam?
nam sic; semper eg'auditor &c.

2 Quoties dictio in consonantem m, desinit, & subsequens incipit à uocali, illud m cum cohærente uocali absumitur: appellaturque ecthlipsis ut.

Multum ille & terris iactatus & alto. nam sic; mult'ille &c.

3 Cum duæ uocales in una atque eadem dictione simul in unam coeunt, appellatur synæresis ut

Atria dependet lychni laquearibus aureis. Nam sic; laquearibus auris.

Append.

Huc pertinent illa, dehinc cui, huic, ij, dij, & similia.

4 At cùm una syllaba in duas diuiditur, fit contraria superiori figura Diæresis; ut soluenda tetrasyllabon, pro soluenda trisyllabo.

Cæterùm refert etiam figuras nosse Penthemimerin Hepthemimerin, & Trochaicam cum eæ uim habeant interdum producendi uocalem breuem, cumq; heroicum carmen sine his aut saltẽ sine harum altera constare sine deformitate non queat.

Fit autem Penthemimeris, quoties post duos primos pedes remanet syllaba diuidens dictionẽ; ut

Omnia uincit Amor & - ᴗᴗ - ᴗᴗ -
Hephtemimeris uerò cũ idẽ fit post tres pedes: ut
Tytire tu patulæ recubans &c. - ᴗᴗ - vv - vv -
Trochaica autem fit cum post duos primos pedes
Trochæus remanet finiens dictionem ut
Nil nostri miserere -- -vv -v
E quo deinde & subsequenti syllaba conflatur dactylus ; nil nostri miserere mori me denique cogis -- -vv -vv &c.
Bucolicam ueluti figuram quartam frustrà addunt nonnulli, cum nempe in bucolico uersu quartus pes est dactylus : uerùm cùm ibi nec cædatur dictio, nec remaneat post quatuor pedes, syllaba, finiens dictionem ; bucolici uersus ea potius natura quædam & conditio, quàm figura aliqua dicenda est, ea est huiusmodi.
Dic mihi Damœta cuium pecus
-vv -- — -vv &c.

DE ACCENTV.

Accentus seu sonus, lex quædam & ratio est ad attollendam deprimendamúe syllabam accommodata.
Est autem is triplex; Acutus, Grauis, & Circumflexus.
Acuti nota est hæc, ' Grauis hæc, ` Circumfle-

flexi hæc ^,

Acuto sono attollitur syllaba;ut fortúna,in [tu] enim uox suspenditur.

Graui deprimitur,ut in ultima eiusdem uocis [ra] ubi demittitur.

Circumflexo,(qui est ex acuto grauiq; sono conflatus sonus) partim attollitur,partim deprimitur;ut in ôs,rôs

Verùm quod difficilis est rei huius pceptio; cùm utrum uox quæq; sit acuto circumflexóue proferenda sono,necesse sit cognoscatur optimè,sit'ne monosyllaba dictio natura breuis,positioneue longa(tum enim proferemus acuto,ut mél,stírps) An quidem certè sit ea natura longa (nam tum scribemus inflexo,ut môs; quò referenda etiam polysyllaba ea,cuius penultima natura longa,uel cuius prima, si ea sit dissyllaba dictio, ultima uerò breuis est;ut Antênor,fâtum) cùm inquam,rei huiusce cognitio unicuiq; nõ pateat in promptuq́;non sit:iccirco nos, tyronibus in re huiusmodi consulentes, cum consuetudine usuq; cõmmuni,inflexum cum acutu ,sonum confundamus.

1 Omnis igitur monosyllaba dictio acuto sono proferatur; ut sál sól.

2 Polysyllaba uerò dictio habens duas ultimas lõgas,in penultima habeto acutum;ut tempéstas, Athénæ.

Dissyllaba item, sed in prima; ut púer; Róma.

3 *At si penultimam habebit breuem; tunc in tertiam à fine commigrabit accentus: ut dóminus, ténuis.*

Patiuntur tamen has exceptiones hæ regulæ.

1 *Gentilia in As; Dictiones item, quibus aut adhærent coniunctiones encliticæ, aut postponitur interrogatio, contra canonem ultimam acuunt: ut Arpinas; Hominésq; ; cantando tu illúm? Tametsi gentilia in As, cùm olim essent in atis; inflexo uideãtur potius proferenda.*

2 *Polysyllaba ea in Ius, quæ abscisionem patiuntur in fine in penultima accentum retinent; ut Virgilius ò Virgíli.*

3 *Peregrina nonnulla, tametsi latinæ declinationi recepta, suum accentum interdum seruant; ut Simóis;*

4 *Præpositiones cùm postponuntur, acutum retinent; ut Transtra pér; cum alioqui præpositæ grauem habeant; ut pèr transtra.*

5 *Pluralibus genitiuis, de quorum medio per syncopen aliquid eiectum est, in ultima circumflexus apponitur: ut Deûm, fabrûm.*

6 *Aliquot demq; orationis partes, quæ casibus non declinantur, quibus cùm sit cum nomine ali*

quo ſeu participio communis in easdem literas terminatio; graui notantur in fine: ut cùm in præpoſitione [palàm] deprimimus ultimam diſcriminis gratia, ob accuſatiuum [palam] quod idem fit in aduerbijs unà: porrò: certè, ac ſimilibus.

Obſer.

Verùm in proferendis his uocibus erit debitus ille retinendus etiam modus, qui ab his ſeruatur nequaquam, quos nondum probatorum defatigauit authorum lectio; qui cùm grauem in aduerbiorum fine conſpiciant; ita uocem horrido quodam ac planè barbaro terrore attollunt; ac ſi duplici uocali in fine dictio illa ſcriberetur. Vt in uoce [planè] aut [profectò] eundem ſonum proferentes edunt; ut ſi planee legerēt, aut profectoo: quod quàm hiantem ac fœdam; profluentem alioqui cum æquabilitate interdum, orationem reddat; eæ ſentiunt profectò aures, quæ ſunt lectioni potisſimùm Ciceronianæ diutius aſſuetæ.

Cenſeatur igitur, cùm graui ſono in fine notentur hæ uoces, quo ſono uox non attollitur aut ſuſpenditur, ſed ſupprimitur & demittitur, eò notari profectò, quò qui legit, animaduerſo ſono, uocis ambiguitate ad percipiendam ſententiam non retardetur; non quò immani uel Germanico illo potius [tono] uox ulla huiuſmodi fuerit proferenda.

DE ORTHOGRAPHIA.

NIHIL est quòd hic longas à nobis quisquam expectet in Orthographiã præceptiones; si etenim Grammaticæ pars quæquam est, de qua minus commodè præcipi poßit; quæq; magis usu atque authorum notatione, quàm quidem longa præceptorum serie egeat; hæc illa profectò est. Quare usui animaduersionique cætera omittentes, hæc nos duntaxat paucula in hanc materiam attingemus.

PRIMO cùm duplex sit depingendi literas genus, (describimus enim alias maiusculas, alias item minusculas) maiusculis primò locus, erit in nominibus hominum propriis, ut Collatinus, Lucretia.

Gentium item, locorum, sectarum, officiorum, nomina; tum orationum sententiarumúe principia, iisdem literis depingemus: ut Itali, Germania, Cinicus, Consul, & Quamquam, modò ponatur hæc dictio in principio.

In cæteris autem omnibus, literis utemur minusculis.

Omnes gignendi dandique casus numeri singularis, tum nominandi, uocandique pluralis, eorum nominum quæ sunt declinationis primæ, aut quæ referuntur ad primam; in fine scriben-

tur diphthongo, æ, ut musæ, bonæ, ipsæ, meæ, doctæ, & eæ.

Ante b, m, p, non ponitur n, sed m; ut bombyx, immanis, templum.

Q semper sequitur u, ut sequor, liquor.

A, præpositio dictionibus à consona litera inchoantibus præponitur; ut à poetis à rege.

Ab, incipientibus à uocali potißimum; ut ab illo, ab Africa: Interdum etiam his dictionibus, quæ à consonis d, l, n, r, s, t, & i consona ordiuntur; ut ab domino, ab lege, ab nomine, ab re, ab Sylla, ab tutore, ab Iano.

Abs præponitur literis t, & q, ut abste, absquibus.

Præpositiones ad, con, ex, in, ob, & sub, consonantem in compositione, in eam literam mutant, quæ prima est dictionis compositæ: ut affero, committo, effingo, illudo, offundo, & suggero.

Con præpositio consonantem amittit in his uerbis, quæ à uocali incipiunt; ut coincido, cohæreo. terùm notandæ sunt etiam distinctiones eæ, quibus oratio solet diuidi & subdestingui.

In oratione igitur plena perfectaq; sententia, quæ periodus Græcè dicitur, latinè ambitus seu comprehensio, duæ distinctiones (nam tertia periodi ipsius est) inesse solent; incisum nempe ac membrum.

Incisum ergo, quod pars quidem membri est, notatur uirgula sic ,

Membrum, quod item pars periodi, duobus punctis sic :

Periodus autem ipsa, puncto clauditur, sic . Sed iã ex Cicerone assignetur exemplum.

Ego omni officio ac potius pietate erga te, cæteris omnibus satisfacio: mihi ipse non satisfacio . & sic in reliquis, quæ passim occurrunt.

Est præterea interrogationis nota sic ?

Parenthesis item (quæ nihil aliud quam uerbi unius aut plurium in oratione interpositio est , quæ tametsi remoueatur, integer tamen remanet sensus) nota est hæc (   )

Sunt & aliæ etiam notæ, uerum eæ aut Græcæ potius orationi deseruiunt, aut rarò quidem in Latina occurrunt.

Cæterùm hæc habuimus candide lector, quæ de Grãmatica traderemus; tu porrò nostram hanc operam, quæcunq; illa est, æqui boniq; consulito.

Vale.

FINIS.

Frater Maximianus Beniamus Inquisitor
Paduæ permittit hunc Grammatices
librum imprimi.



